





VERA EFFIGIES HIERONYMI FRACASTORII
EX NUMISMATIBUS.
F.C. inc.

HIERONYMI FRACASTORII VERONENSIS, ADAMI FUMANI CANONICI VERONENSIS, ET NICOLAI ARCHII COMITIS CARMINUM EDITIO II.

Mirum in modum locupletior, ornatior, & in II. Tomos distributa.

TOMUS I.

In hoc ITALICÆ FRACASTORII EPISTOLÆ adjectæ, nunc primum summo studio quæsitæ, & congestæ; inter quas eminent longiores illæ amœbææ, seu potiùs Libelli,

JO. BAPTISTÆ RHAMNUSII & FRACASTORII DE NILI INCREMENTO.

Quæ accesserint præterea, quæque industria nostra in his omnibus effecerit, sequens Præfatio indicabit.



PATAVII. CIƆIƆCCXXXIX.
EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS.
Superiorum permissu, & cum Privilegio Excellentiss.
SENATUS VENETI ad Annos X.

LECTORIBUS.



OEMATUM HIERONYMI FRACASTORII Editionem alteram, quam tamdiu & nos polliciti ſumus, & vos exſpectaviſtis, humaniſſimi Lectores, magno labore ac ſingulari ſtudio noſtro, quoad ejus facere potuimus, abſolutam & expolitam, aliquando accipite. Hanc nimirum, commodis veſtris atque utilitati ſervientes, jam ab eo tempore inſtruere ac parare cœpimus, cum prioris illius, emtoribus mirum in modum acceptæ, exempla vel nulla, vel pauciſſima in tabernis librariis venalia ſupereſſent, pluresque Muſarum amatores ea fruſtra quærerent ac deſiderarent. Ut autem quæ in hominum gratia fuerat, numquam in poſterum obſoleſceret, ac tamquam inutilis abjiceretur, (quod veterum plerumque editionum fatum eſt, cum apparent novæ) JOANNIS COTTÆ ac JACOBI BONFADII Poemata iccirco in hac poſteriore omittenda eſſe duximus: quo fiet, niſi fallimur, ut Editio illa ſemper dignitatem ſuam conſervet, atque in bibliothecis retineatur. Neque tamen velimus, vos frontem contrahere hoc audito, quaſi hæc recentior minus locuples futura, vel

de utilitate quicquam priori concessura sit: quod enim pertinet ad FRACASTORIUM, FUMANUM, & ARCHIUM, alteram longe multumque superabit. Tanta enim & tam insignis ad horum celebrium Scriptorum monumenta, qua ex libris editis, qua ex adhuc non editis, facta nunc accessio est, ut qui nos paullo ante moræ ac tarditatis accusabant, eos industriam ultro laudaturos, divinæque providentiæ gratias acturos, in spe maxima merito simus.

Jam, ut de hoc primum dicamus, ipsa Libri forma luculentior & magnificentior homines φιλοκάλους allicere potest: dedimus enim operam, ne FRACASTORIUM, principem Poetam, minus laute atque opipare accepisse videremur, quam Sannazarius, Vida, Castilionius, nostra cura expoliti, ante aliquot annos in publicum prodiissent. Narrationem de Vita ejus, ADAMO FUMANO fortasse tribuendam, nonnullis annotationibus * auximus. Harum origo debetur Libro cuidam egregio M. FRID. OTHONIS MENCKENII, quem Cl. Auctor inscripsit: *De vita, moribus, scriptis, meritisque in omne litterarum genus prorsus singularibus* HIERONYMI FRACASTORII; ediditque Lipsiæ anno 1731. 4. Vir ille doctissimus atque humanissimus nos in eo Libro invidendis laudibus, pluribusque officiis in perpetuum sibi devinxit: quem propterea honoris & grati animi caussa nominamus. Cete-

* *In cujus calce etiam eruditam Cl.* JOANNIS BAPTISTÆ PARISOTTI *Epistolam de vero Fracastorii mortis anno collocavimus.*

terum multa quidem graviter & ornate MENCKENIUS de FRACASTORIO prædicat; non pauciora tamen aut leviora eidem objicit: de quibus neque nos, neque Italorum qui hac tempestate in litteris florent celeberrimos, secum sentientes umquam habebit. Hæc autem studiosis veritatis, & præsertim Civibus FRACASTORII per otium cognoscenda & diluenda relinquimus: nobis enim, cum maxime id facere cuperemus, tempus omnino defuit. Eruditorum hominum Testimonia de FRACASTORIO, ejusque scriptis in aptiorem ordinem digessimus: quod inter legendum deprehendetis. Totus porro Liber duobus justis Voluminibus continetur. Latina FRACASTORII Poemata cum Editione prima & pulcherrima omnium ejus Operum diligenter contulimus, quam paullo post ipsius mortem amici curaverunt, additis ad calcem Andreæ Naugerii Orationibus, & Carminibus. Ea Venetiis prodiit apud Juntas anno 1555. 4. & quamquam raro admodum in bibliothecis vel tabernis occurrat, ut propterea exteri quidam dubitaverint, utrum vere exstet, necne; nos tamen ejus exemplum possidemus, quod sæpe amicis & familiaribus videndum præbuimus. Editionis hujus monitu & subsidio Varias Lectiones plures minime contemnendas in egregii Poetæ Carmina induximus, præ ceteris vero in Poema de JOSEPHO; quas posteriorum Editionum curatores immutaverunt: qua de caussa, minus exploratum. Sed fortasse Codex

aliquis Auctoris manu exaratus illas præferebat. Quæ autem certiores & meliores habendæ sint, difficile valde est dijudicare. Ii quibus vacat, utraque Cominiana Editione vestiganda & conferenda, sententiam ferre poterunt. Hac quoque Lectionum varietate priori Editioni gratiam conciliatum iri speramus. Versuum Latinorum cumulum haud exiguum invenietis, qui vel numquam editi fuerant, vel certe ad reliquos numquam adjecti. Hos nobis muneri miserunt Viri nobilitate ac doctrina præstantes, quos, ut par erat, locis opportunis cum laude memoravimus: & quibus ob præclara ipsorum in litteras merita, vos etiam, Lectores humanissimi, haud parum debituri estis. Neque pauca illa quæ FRACASTORIUS Etruscis Carminibus lusit, omittenda existimavimus: quorum tria tantum typis edita fuisse nonnulli falso crediderunt: nos enim duo præterea huc revocavimus, & Epigramma Italicum, in Codice MS. domesticæ bibliothecæ nostræ, quo plura excellentium Poetarum carmina continentur, casu quodam & fortuna inventum, exhibere voluimus. Utinam Scriptor noster hoc etiam in genere poeseos ingenium illud suum admirabile sæpius exercuisset! Nullo tamen modo committere possumus, ut HIERONYMUM A PRATO, Patricium Veronensem, singulari pietate atque eruditione Virum, Oratorii Presbyterum, quod vulgo ajunt, ingrato silentio prætereamus. Hic multa FRACASTORII Carminum aliorumque

ejus Opuſculorum Fragmenta, auro contra æſtimanda, nobiſcum liberaliter communicavit; de quibus ipſe, alterque Vir doctiſſimus duas Epiſtolas conſcripſerunt, ſane digniſſimas quæ hic legerentur.

Epiſtolas porro Italicas FRACASTORII adhuc ἀνεκδότους, quæ in Fragmentis poſtremo loco poſiſitæ ſunt, excipit ſtatim accurata συλλογὴ reliquarum Epiſtolarum omnium ab ipſo Italice conſcriptarum, quæcumque a nobis erui, & ſumma induſtria colligi potuerunt. Hæ profecto multis inexſpectatæ accident, ſed præſertim litteratis * tranſalpinis, ad quos incerti rumores de his monumentis jampridem pervenerant. Inter has eminent prolixæ illæ ac doctiſſimæ FRACASTORII & RHAMNUSII DE INCREMENTO NILI Epiſtolæ amœbææ: quæ cum in variis, antiquis, & rarioribus libris deliteſcerent, multos in errorem inducebant, & cauſſa erant dubitandi, an umquam conſcriptæ fuiſſent. Dixerit hic aliquis: Cur hæc tantummodo ſelegiſtis quæ ederetis, Verſus nimirum & Epiſtolas Italicas: cetera vero tanti Viri Opera, graviora fortaſſe atque utiliora, penitus neglexiſtis? Homini huic ita reſpondemus, Volumina FRACASTORII quæ ad Aſtronomiam, ad Medicinam, ad Philoſophiam pertinent, pleraque eſſe illa quidem omnia illuſtria, atque eximia; magniſque ſumtibus ſeorſum olim edi-

ta,

* *Vide Cl. Menckenium de Vita & ſcriptis* HIERONYMI FRACASTORII *pag.* 144. 222. *& ſeq.*

ta, aut cum Operibus ejus reliquis; nostris tamen istis temporibus aut propemodum jacere, aut non cupidissime ab hominibus expeti; quod ab illius ætate ad hanc ætatem rerum novarum series, & admirabilium, ad facultates hasce pertinentium, ab excellentis ingenii viris detectæ sint, & animadversæ, ut nulla omnino caussa esse videatur, cur magnopere exquirantur. Quæ dici de illius Epistolis nullo modo possunt, quæ simul una omnes ad hanc diem editæ non sunt.

Porro Syphilidis aurei ac divini illi Libri tres, ad Bembum missi, ii sunt qui decus Fracastorio famamque, & nomen immortale & initio pararunt, & ævo sempiterno virens vigensque, ut nunc quidem, retinebunt; iisque, veluti accessio quædam ædium, etsi non ejusdem majestatis ac splendoris, reliqua illius Carmina una conjunguntur. Quæ vera sunt, ac certa omnia. Eant nunc igitur ingenia quædam, ad doctos homines contemnendos nata, ac, si jure possunt, Poetas, illorumque Carmina contemnant, aut nauci faciant; si ejusmodi illa sunt, ut tribuere immortalitatem illis queant, majoremque, ut ita dicam, ac splendidiorem, quam ulla alia scripta ab his ac parta Opera. Atque hæc hactenus de Volumine I. hujus II. Editionis; quod nos pro nostra industria numo præterea Fracastorii, & ex eo nova ipsius a peritiori manu in æs incisa imagine ornavimus.

Quod ad alterum Volumen attinet; primum quidem in eo ſeſe offert admirabile, ac divinum illud Poema ADAMI FUMANI, Canonici Veronenſis, quo Dialecticen, univerſaque illius præcepta diligentiſſime perſequitur; quod, Muſis minus iratis, numquam antehac editum, magnus in litteras amor POLYCARPI * PALERMI nobis, ac poſteritati conſervavit. Id nos primi nunc edimus; atque in eo deſcribendo ſummum ſtudium, ſummum laborem, & incredibilem propemodum diligentiam adhibuimus. nacti nempe exemplar quod unicum, litteraque ipſius Auctoris ſcriptum eſt, at pagellis ſæpe exeſis, ſituque & ſqualore horridis, quod SCIPIO MAFFÆUS, Vir litteris, ac patriæ laudibus alendis, augendiſque natus, noſtri pro ſua humanitate ſtudioſiſſimus, nobiſcum communicavit. Porro in eo Opere conficiendo FUMANUS Lucretium, Tullianæ ætatis hominem, ſibi imitandum unice propoſuit, Poetam multo elegantiſſimum, ac Marco ipſi Tullio Ciceroni, Latinorum Principi, Græcæ Latinæque linguæ vi, bonarumque omnium diſciplinarum notitia parem. Dictio eſt itaque FUMANI nitida ac ſplendida, ut eſt Lucretiana; atque in re non lauta admodum, divitiæ tamen, & abundantia eſt quædam ejus orationis; quam apta ſchemata, ſententiæ illuſtres, opportunæ digreſſiones, quaſi emblemate vermiculato, exornant. Huic Poematia FUMANI alia non ejuſdem dignitatis

* *Vide pag. VII. Vol. II.*

ſuccedunt, quorum alia numquam ante hanc diem edita ſunt; alia edita illa quidem, ſed in libris aliis diſperſa aliiſque qui ſine ſumma difficultate reperiri non poſſunt.

Ordine deinde occurrunt NICOLAI COMITIS ARCHII Poemata, in quibus edendis raram illam & unicam, quamvis parum admodum emendatam, Editionem Mantuanam, pauciſſimis cognitam, ſecuti ſumus; cujus tamen Operis verſiculi nonnulli a nobis, juſtiſſimis de cauſſis, in noſtra hac ſunt prætermiſſi. Idque nos Libris tribus concluſimus; quæ nobis diſpoſitio & melior, & facilior viſa eſt. Genus eſt dicendi elegantiſſimum; ſi paucula quædam demas, in quibus pura, venuſta, & caſta illa dignitas Latinæ linguæ, quæ noſtris hiſce miſeris temporibus contemnitur, minime comparet. Atque hoc quidem ob eam cauſſam homini arbitramur eveniſſe, quod cum exemplaria typis ederentur, ea NICOLAUS inſpicere, ac diligenter loca ſingula recognoſcere non potuit. Homo enim, neſcio quis, qui amicorum numero a NICOLAO habebatur; quæ peſtis probis, doctiſque viris numquam deeſt; ea omnia eo conſilio ſubripuit, ne inſpicerentur. Inſignis eſt hæc acceſſio, quæ Italis Poetis nunc fit qui ſeculo XVI. Latine ſcribendi laude floruerunt; quæ tamen (quod fatum eſt miſerabile plurimorum) univerſis fere mortalibus ignota, miſere in ſitu, tenebriſque jacuit. Exemplar hoc Mantuanum, hominum, temporumque injuria

locis

locis multis lacerum, quodque vere dicere possumus cum blattis tineisque perpetuo pugnasse, nobis misit muneri Vir magni nominis PETRUS CATHARINUS ZENUS; quod nos quidem tanti facimus, quanti quivis Codex summi cujusvis pretii a doctis viris fit.

Appendix deinde additur Opusculorum quæ ad FRACASTORIUM pertinent. Ac primum quidem Itala SYPHILIDIS *Metaphrasis*, quam Vir eruditissimus, nobisque amicissimus confecit VINCENTIUS BENINUS Coloniensis, quæ, si lubet, cum aliis pluribus Poematis ejusdem *Metaphrasibus* conferri poterit, quæ eodem fere tempore a pluribus hominibus Terræ Italiæ, iisdemque doctissimis, scriptæ sunt; quarum series in calce I. Voluminis exhibetur. De his justius prædicari illa possunt quæ Macrobius, cum de Homero, ac Virgilio diceret, lib. V. Saturnal. cap. IV. scripsit: *Quid suavius, quam duos præcipuos vates audire idem loquentes?*

Sequitur *Apologia*, quæ rarior hac ætate facta est, quam, Syphilidis tuendæ caussa, ANDREAS CHIOCCUS, Medicus Veronensis, scripsit adversus Julium Cæsarem Scaligerum, qui illam scriptis editis reprehenderat. Ea, ut illis temporibus, satis culta, & erudita est; quam nobis dono dedit PETRUS idem CATHARINUS ZENUS, cujus paullo ante meminimus.

Post *Apologiam* Liber Tertius JOSEPH collocatur, a FRANCISCO LUISINO Utinensi cultissimi ingenii Viro elaboratus. Genus est hoc

Poematis, quod FRACASTORIUS, cum esset jam magno natu, scribendum Libris pluribus susceperat; sed morte præreptus, Libris dumtaxat duobus inchoatum, idemque curis extremis nondum expolitum, reliquit. Porro in hoc III. Libello operam dedit LUISINUS, ut partem reliquam sacræ historiæ, Latine, eleganterque versibus persequeretur. Concinnus, acutus, ferax omnino est. Sed, si vere dicendum sit, luxuries & immanis quædam abundantia in eo apparet; quod Aloysii fratris venia dictum volumus ejusdem LUISINI, qui doctrinarum quidem laude & ipse floruit; quique eum Librum ad Alexandrum Farnesium Cardinalem misit, sed majore quadam erga fratrem benevolentia ductus, ipsum, ut nobis videtur, nimiis laudibus cumulavit, cum de hoc ejus Opere præfaretur. Id Opus paucissimis adhuc cognitum fuit. Hortatu vero nunc, & liberalitate PAULLI GALEARDI, Canonici Brixiani, Viri celeberrimi, ut in manus plurimorum pervenire possit, iterum typis editur.

Extremo Volumine Liber ponitur JULII CÆSARIS SCALIGERI, cui nomen est, ARÆ FRACASTOREÆ; de quo, ut loco suo manifestum erit, non rectissime * quidam judicarunt. In eo Scaliger singulari quodam studio, ac ratione ostendit, quanti FRACASTORIUM faceret; etsi FRACASTORIUS ab eo in rebus pluribus fuerit redargutus. Carmina illa, ut ple-

raque

* *Pag. 122. & seq. in calce Vol. II.*

raque omnia Scaligeri ſunt, recondita, atque interiore quadam doctrina continentur. Durities autem, ac difficultas rei in his apparet; verba etiam non pauca ſtudio nimio ab eo quæſita, latentioriſque cujuſdam ſententiæ; vieta, ut ita dicam, ac veternoſa. Quod ei homini minime excidere oportuit qui dente ſatis aſpero, & eo quidem nomine, ævi ſui Poetas, & qui tanto ante eum floruerunt, libere momordit.

Plurima alia, humaniſſimi Lectores, ut teſtimonia, * animadverſiones, emendationes, ne de ſingulis, ac minutula dicamus, animadvertere per vos poteritis. Moram denique boni conſulite Editionis hujus; cujus uſuras, & eas quidem centeſimas, quodammodo perſolvimus, aucta illa iis rebus quas commemoravimus. Avete.

* *Vide præcipue quæ præmittuntur in Alconem Fracaſtorii, vel Cruceji, pag. 175. I. Vol.*

IISDEM LECTORIBUS MONITUM.

Solitus in libris Cominianis præfari, cum & in hoc præfatus eſſet uſque ad illa verba: Homini huic ita reſpondemus *&c. graviſſimo morbo correptus, (quocum adhuc conflictatur) doctiſſimo cuidam Viro ſibique amiciſſimo reliquam Præfationis partem conficiendam dedit. Præterea cum, eamdem ob cauſſam, nonnullas I. Voluminis pagellas recognoſcere & illuſtrare per ſe ipſe non poſſet, fratri, perpetuo, in hoc munere, adjutori ſuo, ne diutius hæc Editio differretur, recognoſcendas & illuſtrandas reliquit.*



NOI RIFORMATORI
dello Studio di Padova.

AVENDO veduto per la Fede di revisione, ed approvazione del P. F. Paolo Antonio Agelli, Inquisitore di Padova, nel Libro intitolato: *Hieronymi Fracastorii Veronensis, Adami Fumani Canonici Veronensis, & Nicolai Archii Comitis Carminum Editio II. locupletior, ornatior, & in II. Tomos distributa. Accedunt Fracastorii Italicæ Epistolæ*, ec. non esser cosa alcuna contra la Santa Fede Cattolica, e parimente, per attestato del Segretario Nostro, niente contra Principi, e buoni costumi; concediamo Licenza a *Giuseppe Comino*, Stampatore in Padova, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dato li 4. Febbrajo 1738.

(Giovan-Francesco Morosini Cav. Rif.
(Giovan-Pietro Pasqualigo Rif.
(

Agostino Gadaldini Segretario.

DE-

DEDICATIO I. EDITIONIS.

MARCHIONI ILLUSTRISSIMO,

SCIPIONI MAFFÆO,

NOBILI VERONENSI,

Eruditiſſimo, ac Sapientiſſimo Viro,

Joannes Antonius Vulpius S. P. D.

MULTÆ *cauſſæ me impulerunt*, SCIPIO MAFFÆE, *Vir illuſtriſſime ac ſapientiſſime, ut* HIERONYMI FRACASTORII *Poemata, itemque* JOANNIS COTTÆ, JACOBI BONFADII, ADAMI FUMANI, & NICOLAI ARCHII, *Veronenſium Poetarum, Carmina nonnulla, ſuavitatis atque elegantiæ pleniſſima, quæ nunc noſtris curis emendata de integro prodeunt, in tuo potiſſimum nomine apparere vellem. Primum enim, quam de tua ſingulari virtute, præſtantique litterarum ſcientia, opinionem jamdiu animo imbiberam, eam omnibus certo aliquo teſtimonio ſignificare vehementer cupiebam; non quod ex meo qualicumque ſuffragio ullam tibi gloriæ acceſſionem fieri poſſe exiſtimarem; quippe hoc levitatis ac dementiæ fuiſſet non ferendæ: ſed potius ut in te obſervando colendoque ipſe mihi ſatisfacerem, ab eorumque ſtupore longiſſime abeſſem, qui maximorum ingeniorum luce, inſolitæque doctrinæ ſpecie nihil admodum commoventur. Deinde illud cogitabam; quemadmodum olim* FRACASTORIUS, *doctiſſimis monumentis ad ſempiternam memoriam temporis propagatis,*

gatis, Urbis Veronæ, in qua natus erat, Italiæ totius, ac sui denique sæculi decus atque ornamentum exstitisset, eamque scribendi carminis facultatem adeptus esset, ut uno Virgilio inferior, vel æmulorum confessione judicaretur: sic te ex amplissima vetustissimaque familia pariter Veronæ ortum, divina providentia delectum esse, qui Scriptis editis immortalibus ætatem hanc nostram mirifice illustrares. Nemo satis pro dignitate laudare possit Libros illos tuos vere aureos, in quibus contra falsas quorumdam opiniones acerrime disputas, qui futilibus impiisque præceptis nobilium virorum animos contentionis rixæque cupidos efficere studebant. Eas nimirum disputationes, simulac typis descriptæ circumferri cœpere, tanto favore omnes boni prosecuti sunt; ii præsertim quos curare oportet ne quid Christiana Respublica detrimenti capiat; ut veteris immanitatis notas, quas barbarorum in Italiam adventus nostris moribus fædissime inusserat, sapientia tandem tua penitus deletum iri prædicarent. Quis autem non valde miretur, hominem Philosophiæ semper vacantem, summique officii rationem diligentissime perquirentem, si ad mansuetiores Musas oblectamenti caussa interdum accesserit, iis palmam eripere qui ætatem omnem in eo studiorum genere consumserunt? Te vero ejusmodi esse quum alia multa testantur, tum in primis Tragœdia nobilis, quam ad veterum Græcorum lucernam elaboratam, his proximis annis publice spectandam exhibuisti. hæc scilicet ubicumque locorum acta est, fletum spectatoribus excitavit; nec tantum quum nova daretur, at decies repetita multitudinis oculos tenere potuit. Præclarum est, in singulis disciplinis singulos homines excellere; at quanto præclarius, unum aliquem reperiri qui quæcumque in disceptationem cadunt, innumerabilia sane, ac nullis prope terminis definita, animo universa comprehendat? Si quis hoc fieri neutiquam posse arbitratur, is domum

tuam

tuam veniat, tecum colloquatur, periculum faciat in litteris, in arte dicendi, in disserendi subtilitate, in Physicis, in Geometricis: interroget de pietate, de justitia, de finibus bonorum, de administratione reipublicae, de institutis populorum: historiam sibi promi petat, poetam aut oratorem explicari, veteris lapidis aut numismatis inscriptionem declarari; nulla ex parte imparatum offendet, sed contra omnibus doctrinis & artibus instructissimum admirari cogetur. Ad has caussas, quas hactenus memoravi, illa vel gravissima accedit, te, si quis alius hoc tempore, cum fucata eloquentia justas inimicitias suscepisse, nihilque in dicentibus probare solere, quod non simplex, non candidum, non rectum, non denique utile sit. Est hoc nobilitatis tuae, quam animus veritatis studiosus, & qui neminem fallere postulet, summe decet. quid est enim tam plebejum, quam vel in vita vel in oratione mendaciis rem agere? Quo fit etiam, ut ab omni arrogantia superbiaque maxime abhorreas, quae vitia plerique nobilium otio diffluentes, eo consilio adhibent, ut nimirum inertiam suam ad populum tegant, ac ne plane cessare videantur. Et quamquam generis claritate, ceterisque ornamentis, quae ipse tibi magna virtute comparasti, nemini concedas, Fratremque habeas, apud Principes Germaniae Viros gratia, opibus, dignitatibus mire florentem, nihilominus facilem te in audiendis admittendisque hominibus praebes, comiter unumquemque appellas, citiusque fortunae tuae oblivisceris, quam humanitatis. Accipe igitur, Vir sapientissime, hilari vultu munusculum hoc nostrum, Poetasque elegantissimos, cives tuos, & ipse amare, & aliis commendare velis. Hoc mihi gratius accidere nihil potest. Vale.

Patavii CIϽ IϽCC XVIII. Kal. Septembris.

LECTORI BENEVOLO.


NON ſum neſcius, erudite Lector, plurimos inveniri qui de Poetarum ſtudiis, deque univerſo genere Poeſeos ita ſtatuant, rem eſſe minimi pretii, & quæ magna ingenia ab inquirendæ veritatis ſtudio ad nugas & ſomnia ſæpe traducat: propter eaque recte Platonem feciſſe dicant, qui a Republica illa ſanctiore, quam ipſe optimis legibus inſtituebat, eos omnes excluſerit qui verſibus & fabulis delectarentur. Hujuſmodi hominibus poemata offerre perinde haberetur, ac ſi Pentheum Bacchis diſcerpendum traderes; adeo ſunt pertinaci animo ac fero, Muſiſque inimico. Cum his porro diſceptare velle quid eſt aliud, niſi inanem operam ſumere? contracto enim ſemel ſupercilio, judicioque facto, citius ſe ſpiritum amittere, quam de ſententia dimoveri patiantur. Qui ſi delicias ita odere, ut nihil humanitati dandum putent, omniaque ad veram directamque rationem exigi oportere clamitent, non video, cur ullam aut in victu munditiam, aut in veſtitu elegantiam adhibeant: cur artes ullas probent, præter eas quæ, ut vitæ neceſſitatibus inſervirent, rudibus adhuc ſæculis inventæ ſunt. At hos, quoniam communi hominum ſenſu ſatis refutantur, & ſua ipſi triſtitia abunde puniuntur, Diis iratis ſuis relinquamus: remque Poeticam hactenus in civitate retineamus, quoad ingenuam ex illa voluptatem capere poſſumus. ceterum parcat ea moribus juventutis, maledicto abſtineat, ne incurrat in famam bonorum, ne prava exempla in ſcenam immittat: recte facta potius illuſtret, virtutes laudet, diſciplinas ornet, ſalibus etiam interdum ac deliciis utatur, ſed illis innocuis ad hilaritatem, non pernicioſis ad corruptelam. Eſt aliud genus hominum, qui ſe quidem Muſas amare dicunt, & poemata magni facere, ſed qui perverſe adeo de Poetis judicant, ut illis ejuſmodi aures eſſe exiſtimes, quales olim Regi Midæ fuerunt; cui ſcilicet Jovis filium Apollinem, dignum convivio Deorum citharœdum, ad Panos ruſtici Numinis ſuavitatem nimium nugatorem viſum fuiſſe perhibent. Enimvero majus in hæc ſtudia periculum intenditur ab his qui ſe amicos profitentur, quam ab illis, de quibus antea diximus, reprehenſoribus. nam illi quidem ſuum negotium agunt, ac veluti in alio terrarum orbe collocati, noſtra neque attingunt, neque magnopere curant: hi vero importune adſunt, inſiſtunt, omnia permiſcent, omnia inquinant, & quum elegantiores Muſas vix a limine ſalutaverint, vel in eos ma-

magiſtros inciderint, a quibus nihil ſapere docti ſint, nihilominus, tamquam ex tripode ac lauru, conſulentibus reſpondent, unumquemque ſcriptorem trutina examinant, ſuas cuique dignitatis partes tribuunt, alios probant, alios damnant, indicta ſæpe cauſſa; quod iniquiſſimum pariter ac ſtultiſſimum eſt. Horum judicio (ut in præſentia tantummodo leviora perſequar; & exemplis res illuſtrior fiat) Catullus, quem Aulus Gellius elegantiſſimum Poetarum appellare non dubitavit, quem omnis antiquitas ſic eſt admirata, ut docti cognomine donaverit, aſper atque horridus eſt; iis vero numeris gaudet; quos eorum delicatiſſimæ aures ferre nullo modo poſſint; penitus inſuper argutiis caret: (hoc nomine ipſi pueriles ineptias, crebras paranomaſias, exquiſita antitheta, abſurdas tranſlationes, & reliquas hujuſmodi orationis labes honeſtare conſueverunt) ad hæc, quod maxime dolendum eſt, obſcuras hiſtorias fabulaſque conſectatur; quæ lectorem alio properantem, non ſine temporis diſpendio, identidem remorantur. Quod ſi forte de Lucretio mentio facta fuerit, tum vero nauſeant, vehementerque indignantur. nam, præterquamquod ſcriptor ille ἄθεος religionem omnem funditus tollere conatur, longiſſime quoque abeſt ab ea ſuavitate, quam ipſi venantur aſſidue: Ennii, ac Pacuvii veſtigiis nimium inſiſtit, verbis utitur obſoletis, hiulcos diſſolutoſque numeros amat, ita denique agreſtis, ita incomtus eſt, ut a pueris gratiam omnino inire noluiſſe videatur. Fuerit Lucretius optimus Latinitatis auctor; quid tum? id ipſi in minima laude ponunt: non enim Latinam, ſed mollem potius & pictam orationem requirunt, qualem hoc proximo ſæculo ingenioſiſſimi homines, bona Ciceronis, aliorumque veterum venia, in medium protulerant, nunc vero ingenti piaculo ſceleſti quidam oppugnare non verentur. Quamobrem & Virgilium accuſant, quod antiquiorum auctoritatem ſecutus, non uſquequaque concinnum ſe præbeat: Lucanum, aut Statium, aut Claudianum, ſi diis placet, in condendo carmine rotundiores eſſe ajunt; vel ſi hoc dicere reformident, imitatione tamen ſua, quum aliquid ipſi ſcribere aggrediuntur, quid ſentiant, ſatis aperiunt. Jam de Elegia, ejuſque ſcriptoribus, mirum eſt, quantum a Fabio Quintiliano diſſentiant; qui nimirum litteris tradiderat, in eo genere *ſibi terſum atque elegantem maxime auctorem Tibullum videri; non deeſſe tamen, qui Propertium mallent: Cornelium* autem *Gallum duriorem, Ovidium laſciviorem* eſſe pronunciavit. Inepti ſcilicet ac præpoſteri homines, meliores ſe harum rerum æſtimatores fore confidunt, ac ille olim vir exſtiterit, ea præſertim ætate natus, qua verius longe certiuſque judicium de hujuſmodi ſtudiis fieri poterat, quam hac noſtra. nondum enim deſierant Latina lingua

 loqui;

loqui, & quid esset Romanæ elegantiæ, vel tabernarii & aniculæ facile dignoscebant. In uno igitur Ovidio libentissime conquiescunt, hunc unum admirantur, hunc sibi ad imitandum proponunt: quam vero ejus similes evadant, ipsi viderint. nisi forte in optimorum imitatorum numero reponendi propterea sunt, quod semper de fæce haurientes, & ea potissimum colligentes, in quibus ingenio suo nimium indulsit scriptor ille, alioqui dignissimus qui legatur, & quantivis pretii, crebris eorumdem verborum repetitionibus utuntur: duarum syllabarum voces in fine pentametri diligenter collocant, polysyllabis omnibus, tamquam horridioribus, rejectis: penthemimerim, seu semiquinariam cæsuram, in hexametro servant: singulis distichis singulas sententias comprehendunt: qui secus fecerit, hunc artis ignarum esse ajunt, magnoque in errore versari affirmant: quod falsas denique, easdemque durissimas leges studiosis adolescentibus imponunt, quas illi violare sine summo scelere non possint. Ab his igitur, si sibi constare velint, consilium hoc nostrum edendi tanto intervallo HIERONYMI FRACASTORII Poemata, item JOANNIS COTTÆ, JACOBI BONFADII, ADAMI FUMANI, NICOLAI ARCHII Carminum reliquias, improbari certe, fortasse etiam derideri, necesse est. FRACASTORIUS etenim, dummodo Virgilianam illam gravitatem, heroicis carminibus scribendis, assequeretur, argutiores Poetas, quos ipsi tantopere amant, omnino contemsit: reliqui vero, nescio quo malo Genio instigante, ita Catullo aut Propertio addicti sunt, ut Martialis & Ovidii scripta vix umquam attigisse videantur. Sed ista omni oratione omissa, levibusque hominibus valere jussis, tibi, tuæque fidei, erudite Lector, hos elegantissimos Musarum alumnos custodiendos tradimus: quos & multo emendatiores, quam antea, & pleniores invenies; nonnulla enim addidimus quum ex Gagnæji, ac Taygeti Carminum Collectionibus, tum ex aliis etiam Libris; quæ si legeris, te industriæ nostræ non pœnitebit. Existimavimus autem, Poema illud sacrum, quod FRACASTORIUS de JOSEPHO inchoaverat, quamvis longe positum infra SYPHILIDOS dignitatem, ceteris tamen egregii viri monumentis esse adjungendum: sunt enim, & quos magnorum Operum rudimenta delectent, & qui ad ea perficienda excitentur, quæ alii aut curis gravioribus, aut infortunio impediti, tantummodo adumbrata reliquere. Ejusdem Poetæ rerum gestarum Narrationem, non illam quidem accuratissime scriptam, (sunt enim in ea nonnulla quæ vix intelligas) verum simplicem, & singularem, ne prorsus abjicere velis. nam ut meliorem de integro daremus, tantum otii non habuimus. Mirabitur fortasse quispiam, atque indigne feret, JACOBUM BONFADIUM,

Veronensem a nobis appellatum, quum aliqui e Scriptoribus eum Brixianum fuisse malint. Nos plerisque fidem tribuere satius esse duximus; nec tamen, quid de hac re homines sentiant, multum laboramus. Tu interim, amice Lector, si quid ad juventutis studia promovenda labore nostro collatum esse censes, neque nos indignos putas, quorum conatibus faveatur, hilari fronte hunc Libellum excipe, daque operam sedulo, ne posteritas hanc bonarum litterarum caussam, quæ nobis tanto sumtui est, a te neglectam fuisse, aliquando conqueri possit.



HIERONYMI FRACASTORII VITA, INCERTO * AUCTORE.



IERONYMUS (*a*) FRACASTORIUS, Veronensis, Fracastoria perantiqua Veronæ, atque ob id valde nobili, Familia (*b*) ortus, non antiquorum modo civium suorum Catulli, & C. Plinii gloriam æmulari, sed omnes prorsus nostræ, & superioris ætatis homines præstanti omnis doctrinæ laude, & eximia in pangendis carminibus gloria, longo intervallo superare contendit. Is Paullo-Philippo Fracastorio, & Camilla Mascarellia Vicetina, summæ probitatis parentibus, ortus, atque a patre liberaliter educatus, ut primum per ætatem in luce hominum versari cœpit, tale de se specimen apud omnes præbuit, ut jam tum ex eo adhuc puero qui postea vir futurus esset, facile homines conjectarentur. (*c*) quod immortalis DEI maturo quoque testimonio pridem fuerat confirmatum, quum pæne infans, & vix cunis egressus, a matre quadam die in ulnis blande pertractatus, dum gravis forte tempestas repente coorta esset, ipsa fatali de cælo icta fulmine, incolumis servaretur. Patavium, ad capiendum animi cultum, adhuc adolescens, profectus, ingenti cura, atque indefesso labore, jam tum ad summum gloriæ fastigium generosi spiritus indole sibi iter aperuit, quum post bonarum litterarum cognitionem, ad arcana cujusque doctrinæ, sed Mathematicarum præcipue scientiarum, infinita lectione, inusitataque memoria, sibi esse pene-

* *Seu, ut aliquibus nostris eruditissimis viris visum est,* ADAMO FUMANO; *non Paullo Rhamnusio, ut putat Cl. Menckenius pag.* 24. *sua Fracastoriana Historia.*

(a) FRASTORIUS *sæpe a poetis vocitatus, ob carminis rationem; quemadmodum &* Naugerius *pro* Navagerius. Vide etiam pag. xxx.

(b) *Anno* 1483. *ut Menckenius pag.* 15. *&* 23. *conjectura assequitur; quam confirmat Paullus Freherus in Theatro erud. vir. pag.* 1234.

(c) *Vide Menckenii Comment. pag.* 29. *& seqq.*

penetrandum judicasset. Sed quum Philosophiæ studiis per multos annos operam dedisset, Petro (*d*) Pomponatio Mantuano præceptore usus, tanto animi ardore, atque alacritate, Genio suadente, se totum ad Medicinam convertit, tanta porro contentione in Gymnasio per quotidianas Medicorum disceptationes se se exercuit, ut doctores ipsi atque æqualis juventus, eum ad omnia natum esse divino quodam consilio faterentur, illique maximos Suggestus honores tunc detulerint, quod Patavii ante illum nemini, nisi maturo in studiis, & perfectæ demum ætatis viro, contigerat. Studiorum socios, & sodales habuit Patavii illustriores quosque ejus ætatis juvenes, Gasparem Contarenum, qui postea Cardinalis fuit, Andream Naugerium, & Marcum Antonium Contarenum Patricii ordinis Venetos, eosdem postea clarissimis legationibus ac magistratibus insignes, Joannem Jacobum Bardulonum Mantuanum, qui gravissimus Philosophus fuit, Pomponium ac Lucam Gauricos fratres, Astronomiæ peritissimos, & Joannem (*e*) Baptistam Rhamnusium, qui postmodum X. Virûm Consilii Senatus Venetiarum a Secretis fuit, Græcarum litterarum, sed Cosmographiæ præsertim atque omnis fere Historiæ peritissimum: sed, præter ceteros, Marcum Antonium, Joannem Baptistam, & Rhaimundum Turrianos, nobilissimos fratres Veronenses, præcipue coluit; quibuscum quotidiano fere in convictu Patavii versabatur, quum Hieronymus eorum pater exactæ doctrinæ, & auctoritatis vir, primum inter medicos in eodem Gymnasio honestissimis conditionibus Suggestus locum obtineret. Sed, exorto demum bello, & everso Patavino Gymnasio, quum nunciata esset illi patris mors, & in patriam iter pararet, Livianus Venetarum copiarum Imperator, Musarum liberalis hospes, & ingeniorum censor longe gravissimus, honestissimis accitum conditionibus in Academiam Forojuliensem ad

(d) *De hoc plura apud Menck. pag.* 38. 39. 86.

(e) *Hic est parum admodum Menckenio notus, ut patet libri sui pag.* 142. *& extrema. Sed, etsi ipse testetur, se nihil aliud ex iis quæ ab illo scripta sunt, legisse, præter Orationem unam, sciat tamen, tria non exigua Volumina reperiri in fol. ab eo magno studio, labore & diligentia congesta de Itineribus terra marique per Clarissimos Viros susceptis, edita sæpius Venetiis apud Juntas, nempe anno* 1554. 1565. 1574. 1588. 1606. 1613. *quorum singula etiam præfationibus, epistolis, & animadversionibus doctissimis illustravit. Eam vero Collectionem qui integram perfectamque cupiat, prout nobis compertum est, curare debet, ut Volumen I. habeat tertiæ editionis, II. secundæ, III. denique primæ. Animadvertit etiam Colomesius, Codd. MSS. Itinerum istiusmodi, quos ipse offenderit, auctiores multo fuisse, quam editos. Ad hoc Arriani* Periplus *invenitur, Italice conversus, & illustratus ab Rhamnusio; quique Venetiis typis editus est an.* 1588. *in fol. Quædam etiam de doctissimo hoc Viro leges pag.* 144. *& seq. Voluminis I. nostræ hujus editionis in Epistola Italica Thomæ Juntæ.*

ad Portum Naonem institutam, in Andreæ Naugerii, & Joannis Cottæ præcellentium Poetarum contubernium evocavit. Ubi quum aliquandiu versatus esset, carminumque, quæ ab eo quotidie, ex nobili semper occasione summæ dignitatis emanabant, auctoritate universæ Italiæ carus ac jucundus esse cœpisset, illius scripta exinde publico semper excepta plausu, reliquorum ad hanc diem omnium famam oppresserunt. Sed quum pluribus (*f*) bellis Livianum secutus esset, eo tum demum ex ipsa Gallorum ad (*g*) Abduam victoria fuso ac capto, se in patriam sero contulit, quum omnia pæne funditus eversa ac devastata direptionibus, & incendiis paterna bona exposita reperisset. Duxit uxorem vivo adhuc suadenteque patre, dum studiorum caussa Patavii moraretur, haud pari felicitate, quum non duorum modo, quos immature sibi ereptos nobili carmine acriter dolet, filiorum funeri interfuisset, nisi præter Paullum-Philippum (quem hodie Veronæ præclaro florentem ingenio admiramur) tertium quoque annis gravem, & consilio maturum amisisset. Fuit FRACASTORIUS parva quidem, sed quadrata corporis statura, latis humeris, & barba decenter honestatus: nigra coma prolixaque: facie rotunda, subnigris oculis, naso, ab diutissime (*h*) contemplandis stellis contracto, simoque. Ceterum, totius oris aspectu, ingenium maxime vividum, miram probitatem sincerique animi candorem referente. Domum habuit Veronæ, juxta D. Euphemiæ: quamquam secessu Caphio, Melsineoque plurimum oblectaretur. de quo quidem Caphio monte, antequam sermo ulterius proferatur, pauca ideo dicenda esse videntur, ne locus, toto Veronensi agro hoc tam eximio cultore celeberrimus, quum is, ingenuo pudore detentus de eo pauca admodum scripserit, omnino ignoretur. Est Caphius mons, ad radices Baldi xv. millia passuum Verona distans, inter Athesim, & Benacum medius. ibi, quum paullulum ascenderis, villa in collis jugo, in media planitie ad conspectum Benaci (non eximiis illa quidem, ut reguli, ac beatioris fortunæ homines, opibus ingenioque validiores supra civilis fortunæ censum ædificarunt, picturis exornata, sed uno tantum loci Genio, ac situs prærogativa admirabilis) reperitur. Quadrata domus est, ac liberiori undique, præterquam ab Aquilone, cæli facie coronata: nam qua ab Oriente Athesim ad radices montis ex intima Germania prope Baldum rapido cursu

(f) *Menckenius pag. 50. ignorare, se profitetur multa bella Liviani, Italorum Ducum celeberrimi, quamvis apud nostros Historicos, & præsertim Elogiorum Scriptores, notissima.*

(g) *Abdua non est urbs, ut suspicatus Menckenius p. 50. sed flumen celebre in ditione Mediolanensi, prope Bicocam, Melignanum, Cassanumque, loca olim obscura, sed ab antiquis & recentioribus ibi commissis prœliis illustriora reddita.*

(h) *Deridet hoc Menckenius p. 174.*

ſu defluentem attingit, Veronam urbem & circumfuſas innumerabiles in ſubjecta planitie villas longiſſime proſpectat: atque in his, omnis generis armenta errantia, & fumantia ſub veſperam tecta intuetur. ab Occidente autem Benacum e converſo lætiſſima facies excipit: pari hercle occurrentium collium varietate mirabilior ac jucundior: quum vel altos interdum Benaci fluctus, & beatam Catulli peninſulam, ac veliferas item claſſes, & piſcantium naviculas longe advenientes perſpectare, tum diverſa oppida apricis promontoriis expoſita lubet contemplari. hinc Bardolinum ſubjectum: hinc frequenti olea, & citriis colles coronatos: hinc demum nemoroſa & læta virentibus paſcuis, naſcentium montium juga deſpectantur. noxios ventorum flatus ad Meridiem paullulum exſtans ante domum cubitus eminentibus pomiferis arboribus jucundus, ac Baldus mons ad Aquilonem vergens, omnem hiemis duritiem procul expellit: ita tamen, ut & in media æſtate quum ex alto Sol urget, obortis Eteſiis blandiſſime ventiletur, nec ardere in cælo Sirium ſentiat: & per hiemem, apricum fere ſemper Solem, & nebulæ omnis expertem diem admittat. Benacus porro, qui maritimi litoris naturam æmulatus numquam gelaſcit, atque omnem hiemis duritiem ſuaviter frangit, frequenti nobilium troctarum, & carpionum piſcatione, non parum momenti ceteris quoque affert commodis. Hic illum interior domus æſtivis hiberniſque cubiculis atque interioribus conclaviis, ubi amicos benigne atque hilariter excipere conſueverat, perquam commoda, quod magnopere Muſis expetitur, ſtrepitu vacua, atque alti plena ſilentii, omnibuſque munditiis nitida, ad ſecretiora accedentem ſtudia comiter accipiebat: quando editis æternæ famæ Carminibus, nobile illius caput ſertis, & virenti per omnem Europam laurea coronaret. Vitæ genus adamavit quietum, cunctis ſolutum curis & litibus, quum vir minime ambitioſus & parvo contentus, honeſtæ ac jucundæ vitæ ad bonam ſemper frugem percupidus, unam tantum ſtudiorum laudem ſpectaret: hilari ac frugi menſa, exactiſſima ſemper ad tuendam valetudinem ratione inſtructa: tam aperto, liberali, & perblando ſemper ingenio, ut quum ſumma eſſet morum temperie, facilitateque naturæ, non eloquio, non cultu, faſtum ullum oſtenderet: numquam in alieni operis cenſura amarulentus aut parcus laudator eſſe conſueviſſet: ut etiam Joannis Baptiſtæ Montani, medici clariſſimi, illius vel æmuli, vel, ut plures judicabant, in re medica principatum acriter affectantis, mortem nobili Epigrammate ſit proſecutus. Medicinam, ad quam perdiſcendam ſe totum ab adoleſcentia convertit, & in qua nominis celebritate primum inter illuſtres totius Europæ medicos locum obtinebat, toto vitæ tempore ita exercuit, ut in affectis

 corpo-

corporibus ſanandis, in quibus illi mirifica quædam & divina prorſus vis fuit, nullius quæſtus potius quam officii rationem haberet. Et quoniam, hac vitæ ratione multorum amicitiam ſuo ſibi beneficio comparaverat, inimicum vero merito habebat neminem, omnes non Venetiæ tantum, atque illius oræ, ſed externi etiam principes & reguli, ut de vel deſperata, vel dubia vitæ re illum conſulerent, maximis ad ſe conditionibus accerſebant: a quibus ille diſcedens, ſalute eiſdem reſtituta, nullum prorſus pretium, præter amicum animum in patriam referre umquam volebat. Delectabatur, quum in otio eſſet, antiquorum hiſtorias, & illuſtria clariſſimorum virorum facta perlegere; adeo ut Plutarchus, atque interdum Polybius ex manibus fere numquam exciderent. Mathematicis item ſcientiis, & præſertim Muſicæ, oblectandi animi cauſſa ſtudium adhibebat: ſed, ex mitioribus omnibus diſciplinis, in unam Coſmographiam incumbebat: quam tanto ſtudio quandoque colere conſueverat, ut gravioribus quandoque ſtudiis intermiſſis terrarum omnium ab Luſitanis primum in Oriente, mox a Columbo in Occidente noſtro ſeculo inventarum deſcriptiones & loca, ligneis orbibus ad amuſſim affabrefactis, altitudinum & latitudinum adhibitis dimenſionibus delinearet. Conſuetudo aſſidua illi erat multum cogitandi, plurima ſecum animo volvendi: neque enim vel deambulando tempus ullum labi fruſtra, vir numquam otioſus, patiebatur: ideoque & raro admodum, & niſi plurimis adhortationibus invitatus, loquebatur: triſtemque ac ſeverum homines exiſtimabant, quum illius ſermonibus ad hilaritatem ſæpius converſis, nihil lætius, nihil urbanius poſſet reperiri. Sed qui herbariæ facultati ac ſimplicibus medicamentis ex antiquorum libris accurate perdiſcendis egregiam pridem operam navaverat, non obſcuræ laudis compoſitionem atque adverſus peſtilentes febres miræ poteſtatis antidotum, quod *Diaſcordion* appellant, medentibus ſimul & pharmacopolis neceſſarium, ſuperioribus annis magna hercle noſtri ſeculi utilitate paravit; quum multis præterea herbis ab antiquis pridem deſcriptis, ſed noſtro ævo incerta ſimilitudine perobſcuris, eruditam claritatem attulerit. Amicos habuit nobiles quoſque totius Europæ, atque in omni doctrinæ genere præſtantes viros, ne ullum aut alterum eorum hoc loco commemorem, tam fauſto, felicique ſemper eventu, ut illum omnes, non ut ſummæ doctrinæ ac probitatis virum adamarent, ſed quaſi quoddam in terras delapſum Numen mirarentur. Sed graſſante demum in urbe peſtilentia, quum primo quoque tempore in ſuos ſe Caphios tranſtuliſſet, & multum otii nactus eſſet, ſuperatis hercle omnibus, quicumque plurimos ab hinc annos floruiſ-

ſent,

ſent, poetis, (*i*) SYPHILIDA Petro Bembo, LEONIS X. PONT. M. tunc a Secretis, dicatam, perenni atque eo prope æterno carmine decantavit: tanta omnium admiratione, ut quum non multos poſt annos Neapolim ad Jacobum Sannazarium in lucem edita deferretur, vir ille omnium noſtræ & ſuperioris ætatis diſertiſſimus, & Virgilianæ majeſtatis affectator egregius, atque alieni carminis laudator alioqui parcus atque amarulentus, Hippolyto Medici Cardinali, qui forte ad eum ſalutandum nobili eruditorum corona ſtipatus, atque adeo ipſo Montano acri æmulo, acceſſerat, hunc unum eſſe confeſſus ſit, a quo non Jovianus modo Pontanus, ſed ipſemet quoque in Partu Virginis accurata carminis dignitate, viginti amplius annorum lima ac labore perpoliti, eſſet victus. Ceterum in amicitiis alendis ac conſervandis (ut pauci ſolent) fuit HIERONYMUS in primis diligens ac circumſpectus. amabat omnes, omnium ſemper obſequiis, ac commodis erat intentus, ut, vel in media hieme a Chriſtophoro Cardinale Madrutio Principe Tridentino, qui FRACASTORIUM mirifice diligebat, valetudinis cauſſa accerſitus, Tridentum magnis itineribus, ſemel atque iterum per abruptas convalles, proficiſci non gravaretur. Eorum vero, quorum fidem benevolentiamque in ſe cognitam atque exploratam habebat, mutuis atque iis quidem fere ſemper majoribus obſequiis proſequeretur, & non viventes ſolum, quod magnum eſt, coleret, ſed ſuam in vita functos etiam, quod præſtantius eſt, benevolentiam, quantum in ſe eſſet, voluerit teſtatam relinquere. id quod ex poſtremis illius Scriptis facile patet, quibus Turrianorum Veronenſium nobiliſſimorum fratrum memoriam, quum eorum alterum in Dialogo de Intellectione acriter diſputantem, alterum in Dialogo de Anima multa diſſerentem & acute percunctantem induceret, poſteritati voluit commendare: Andreæ porro Naugerii præaltam ingenii vim atque eloquentiam, & Joannis Jacobi Bardulonis Mantuani ſubtile ac valde acutum in omni philoſophia ingenium, quum vel nulla, vel ea certe pauca ingenii ſui monumenta reliquerint, ſuo de Poetica Dialogo Joanni Baptiſtæ Rhamnuſio, tamquam veteri amico & ſodali dedicato, apposite atque eleganter poſteris mandare definivit. Sed, quod ad FRACASTORII gloriam vel maxime pertinet, tanta, vir eximius nullius faſtus appetens, & humilia hæc atque terrena ſemper deſpiciens, non apud ſuos Veronenſes, aut reliquas tantum Italiæ civitates, ſed in omni etiam Europa auctoritate fuit, ut ex innumerabili diverſarum gentium

d 2 & illu-

(i) *Laudes Syphilidis vide apud Mencken. pag.* 75. 109. *& ſeqq. uſque ad* 119. *Ejuſdem inepti cenſores, a Menckenio caſtigati.* 125. 129. 132.

& illuſtrium procerum multitudine, quæ Piſcheriam ad CAROLUM V. Cæſarem ex Germania Mediolanum & Genuam proficiſcentem, atque inde in Algerium expeditionem parantem viſendum convenerat, ipſe quoque, qui forte ſolemnis pompæ die e proximis Caphiis cum jucundioribus amicis ſpectatum deſcenderat, ſolus demonſtrante illum palam Madrutio Principe Tridentino, greſſum Cæſaris æſtivo in Sole ac pulvere huc illuc proſpectantis tenuerit. Sed poſtremo, quum Chriſtianæ Reipublicæ, quæ totius orbis Tridenti Generale pridem Concilium indixerat, ſuam non ſemel operam ac fidem præſtitiſſet, in patriam eo ſe animo contulit, ut, abdicata prorſus omni antiquæ Medicinæ opera, quæſtuque, quicumque ex ea, vel ampliſſimus poſſet provenire, Æſculapio ſacra facturus, læto animo ad Muſarum vireta contenderet. quo alacriore mente extremum poſtea vitæ diem, qui exacte Chriſtianam ſemper pietatem coluiſſet, quum gravis quotidie ætas præcipitante jam canitie properaret, feliciter clauderet. Scripſit ſumma ingenii fertilitate nondum ſenex de Stellis, Aſtrologiæ omnis peritiſſimus, in Joannis Matthæi Giberti Epiſcopi Veronenſis, & gratiſſimi Mæcenatis gratiam, Librum ſummæ eruditionis PAULLO III. PONT. MAX. dicatum, in quo præter alia multa, quæ de Eccentricis orbibus atque Homocentricis diſſerit, de duobus illis præcipue motibus a Joanne Baptiſta Turriano inventis agit, quorum ope quum aditus ad multa eorum quæ in natura abditiſſima ſunt, pateat, tum via ad ea ſine ulla obliquitate demonſtranda aperitur, quæ circa ſtellas apparent. Scripſit de Criticis item diebus alterum, contra Galenum. Scripſit graviori ætate, ac plane ſenex, de Sympathia & Antipathia rerum, & Contagionibus, & Contagioſis Morbis pari ingenii ſplendore Libros ad Alexandrum Farneſium Cardinalem, eumdem liberaliſſimum Mæcenatem, atque inde præclaram nominis famam latiſſime propagavit. noviſſime vero, dum duos Dialogos accurate & eleganter, de Poetica unum, & de Intellectione alterum conſcriptos in manibus haberet, jam jam editurus, tertium de Anima, quem adverſus inſana non minus quam impia Pomponatii præceptoris placita conſcripſerat, & Joſephi hiſtoriam, quam heroico carmine fuerat aggreſſus, ſummo vate dignam, fatali morbo properante (*k*) abſolvere non potuit. Carmina (*l*) quædam ingenii ad majora tendentis præludia, quæ vivens publicari num-

(k) *Hanc perfecit Franciſcus Luiſinus Utinenſis Latine admodum & eleganter, addito Libro III. ut hic videre eſt, Tomo II. Appendicis pag. 77.*

(l) *Mirari ſatis non poſſumus, Cl. Menckenium pag. 122. & ſeqq. 133. & ſeqq. ita libere de Carminibus* FRACASTORII *ſententiam ſuam pronunciaſſe; de Elegia præſertim in obitum M. Antonii Turriani, quæ multis de cauſſis apud nos ſemper præſtantiſſima eſt habita.*

numquam voluit, magni tamen atque ingentis illius ſpiritus vim referentia exſtant. Ex iis, ea præſertim quibus Cæſar Fregoſius Palladis virenti olea coronatæ caput, nobili gemma vel decenter cælatum, Margaritæ Valeſiæ Navarræ Reginæ, Franciſci Gallorum Regis ſorori, dono miſit. Citriorum Epigrammata, & perennis famæ Odæ, tenera quadam ac prædulci ad Malſeſenum ſuavitate decantatæ, ac (*m*) nuſquam apud amicos repertæ, ideo perierunt; quod eruditus vir, atque una tantum ſciendi gloria contentus, omnem qui ex carminibus inani hercle ſi non ridenda antiquorum comparatione publicatis provenit faſtum ita prorſus contemſit atque deſpexit, ut, quod plerique alii ſumma ope nituntur, ne illorum quidem archetypum apud ſe in hunc uſum eſſe umquam pateretur. ut hæc etiam, qualiacumque ſunt, quæ nunc in lucem emiſſa leguntur, non exiguo labore ac cura ab amicis hinc inde collecta, prout diſperſa prius quæque reperiebantur, in unum divinitus redacta ſint. Fato functus eſt (*n*) ſeptuagenario major, octavo Idus Auguſti MDLIII. dum pranderet, apoplexia correptus in menſa, quum nimio æſtu damnatos menſes, in ſuis (*o*) Caphiis, urbe ſecedens, devitaret. eo quidem tranquilliore vitæ exceſſu, quod Paullum-Philippum filium tanti nominis hæredem relinqueret, cum bona etiam ſpe præclaræ poſteritatis, quando jam ex eo plures avitæ indolis nepotes non ſemel aut iterum amplexus eſſet. Ferunt, HIERONYMUM, dum langueret, cognito fatali morbo, poſt multas amicas ſibi herbas in olfactum balbutiente lingua efflagitatas, amiſſo penitus ſermonis uſu, manu ſæpius in verticem exporrecta, iis qui aderant, innuere voluiſſe ut celeriter cucurbitula affecto & laboranti cerebro, quo ille peropportuno remedio ſe olim Veronæ unam Monialium Virginum Divo Bernardino dicatarum curaſſe adhuc meminerat, ſubvenirent: ſed, re nequaquam a domeſticis intellecta, quum alii alia adhibenda tum eſſe remedia prædicarent, fruſtra exſpectato remedio, leniter ſub noctem exſpiraſſe. Illius oſſa Veronam paullo poſt in D. Euphemiæ, honorificentiſſimo relata funere, ſunt condita: flebili id carmine hujus ſeculi celebrantibus omnibus Poetis. Ænea illius & Andreæ Naugerii (*p*) Effigies ſcite expreſſa Patavii in fornice portæ juxta pontem D. Benedicti, a Patavina juventute atque univerſo Gymnaſio ſalutatur: quam Joannes Baptiſta

(m) *Vide pag.* 169. *hujus I. Vol.*

(n) *Ideſt* 71. *ut Menckenio notatum pag.* 190.

(o) *De loco mortis* FRACASTORII *controverſia diſcuſſa apud Menck. pag.* 191. *& ſeq.*

(p) *Magno æneo numiſmate, non ſtatua, ut ſibi falſo perſuaſit Menckenius pag.* 199. *Imago quæ in fronte Vitæ* FRACASTORII *ab eo editæ viſitur, parum in Italia probatur, quamvis de ea multa prædicentur pag.* 175.

Baptista Rhamnusius, supremum amicitiæ munus persolvens, addita antiquorum Aræ pervetusta (*q*) Dicatione ex ruinis Salonarum urbis Dalmatiæ eruta, ad studiosæ posteritatis solatium luculenter exornavit: ut doctissimorum hominum simulacra, qui arcta viventes inter se necessitudine conjuncti fuerant, a posteris quoque in nobilissimo terrarum orbis Gymnasio, eodem in loco pariter spectarentur. Ceterum, Veronenses gratissimi cives, quod ad perenne FRACASTORII decus vehementer pertinet, ne a Rhamnusio ejusdem amico, pietate in tantum civem superari paterentur, biennio postquam idem Rhamnusius Patavii æneam FRACASTORII Imaginem collocasset, iidem communi consensu, uno omnium nobilissimo Decreto, marmoream Veronæ Statuam præclara majorum suorum imitatione, qui Catulli Vatis, & C. Plinii, reliquorumque civium suorum memoriam marmoreis imaginibus honestare voluerunt, in publico cum laurea erigendam curarunt: quæ hodie Veronæ visitur in veteri Arcu lapideo urbis, prope Comitium, in Area quæ Dominorum appel-

(q) *Quæ nihil ad* FRACASTORIUM *attinet, nisi ut locus in quo ejus & Naugerii effigies sitæ sunt, illustrior & spectabilior reddatur. Menkenius tamen perpetuo conqueritur, neminem unum adhuc inventum qui Inscriptionem illam vulgârit, quam putat ipse, (ut videtur) modo aliquo ad* FRACASTORIUM *pertinere. Ceterum, si Menckenio videre contigisset Operum* FRACASTORII *Editionem, apud nos exstantem, quæ Venetiis apud Juntas est adornata anno* 1555. *in* 4. *quæque est omnium pulcherrima, sive chartæ nitor, sive etiam litterarum attendatur, ei plane contemplari licuisset* FRACASTORII, *& Navagerii Numos, ligno expressos, pag.* 12. *eosdemque supra Inscriptionem illam veterem positos, eodem quo cernuntur statu sub fornice ad pontem D. Benedicti; indeque certior de hac tota re fieri potuisset. Quam nihilominus insignem Inscriptionem, ut gratiam apud Cl. Menckenium ineamus, qui eam tantopere intueri desiderat, paullo post bis typis denuo describi jubebimus; etsi a pluribus vulgatam, puta a nostris Bernardino Scardeonio,* Hist. Pat. pag. 85. *& Sertorio Ursato in* Monumentis Patavinis, *& uncialibus quidem litteris, transversa pagina* 222. *ubi de ea hæc subjungit:*

Tabula, quam heic damus, mutila pridem inventa fuit Salonæ in Dalmatia a Jo. Baptista Rhamnusio, & ab eo Patavium delata, ac posita, ubi & nunc visitur, inter ænea capita Andreæ Navagerii Patricii Veneti & Senatoris integerrimi, nec non HIERONYMI FRACASTORII Veronensis suo ævo Medicorum omnium * celeberrimi. De ista multa & pæne infinita, tum quoad personas, tum quoad ritus, tum etiam quoad errorum in ipsa emendationem nonnulli illustres viri jam satis superque prodiderunt. Verum cum ornatissimus Pignorius circa ipsam, in Epistola ad nobilissimum Abbatem Albertinum Barisonium data, nunnulla scitu digna suggesserit haud omnibus obvia, hic ea repetere necessarium duxi. *&c. Hanc lege pag.* XXXV. *& seqq.*

Exstat præterea inter Gruteri Inscriptiones Tom. I. P. I. pag. XXIII. n. 12. *noviss. Edit. & apud Pighium in Annalibus, & apud Manutium in Orthographia Latina, & Epistola* 30. *Pignorii, inter Symbolicas, & Ursini scheda II. alibique.*

* Vide pag. XL.

appellatur: nec procul ab eodem Catullo, ceterisque illustrioribus Civibus Veronensibus, artificio Danesii Catanei Carrariensis ex Lunensi agro, præstantissimi hujus ætatis statuarii, non minus pia quam admiranda comparatione conspicitur. Quum autem variis elogiis ab amicis sepulcrum FRACASTORII Veronæ ornaretur, ADAMI FUMANI Carmen (*r*) omnium consensu principem locum obtinuit.

(r) *Legitur hujus nostræ Editionis Tomo II. inter Fumani Carmina pag. 134. In novissima vero & luculenta Carminum Illustrium Poetarum Italorum Florentina Collectione XI. Vol. comprehensa, ubi exstat Tomo V. pag. 237. perperam in quinto versu repositum fuit* FRASTORIUS *pro* FRACASTORIUS.

LETTERA DEL SIGNOR

GIOVAMBATISTA PARISOTTI

AL SIGNOR DON

GAETANO VOLPI

Intorno al vero anno in cui morì il FRACASTORO.

POCHI *giorni sono che, venendomi alle mani le Poesie del* FRACASTORO *nella stamperia del suo Comino impresse, mi riuscì di fare una osservazione, non indegna, a mio debol giudizio, di essere trascurata. Ricordandomi io pertanto come Ella procura una nuova, e più bella, e più magnifica Edizione de' Versi di esso, a Lei la comunico, perchè ivi la ponga, se le pare che così essa meriti. Nel leggere adunque ch' io facea la Vita del* FRACASTORO *nella sua Edizione, scritta da Incerto Autore, vedendo come egli mette la morte di lui nel* 1553. *subito mi sovvenne che il Crescimbeni nell' articolo del* FRACASTORO *Vol. 2. * pag.* 354. *dell' ultima edizione di Venezia, appoggiandosi al Caferro, autore accreditato, pone costantemente la morte di lui nel* 1548. *e dice esser seguita in Padova; laddove l' Autore Incerto asserisce, essere avvenuta nel suo deliziosissimo monte Casio. Ora tra queste contrarietà nessuno senza altre notizie potrebbe affermare da qual parte la verità si stesse; e mentre anch' io me ne stava dubbioso; rivolgendo le medesime Opere del* FRACASTORO, *mi venne fatto di osservare, come senza alcuna obbiezione che gli si possa fare, il nostro Incerto Autore giustamente calcola il tempo della morte di quello; ed il Crescimbeni affatto s' inganna col suo Caferro, e con quanti altri*

* Vedi ciò più speditamente a carte 192. di questo nostro I. Vol.

*altri * mai fossero del medesimo sentimento. E la scoperta è la seguente. Riflettendo io poco fa che il* FRACASTORO *fece di molti versi esametri in lode di Giulio III. Som. Pontefice, mi ricordai nello stesso punto che Giulio era stato assunto al Pontificato l'anno 1550. e per meglio certificarmene consultai il Panvinio, continuatore del Platina, e trovai veramente esser egli stato fatto Pontefice l'anno 1550. ai 17. di Febbrajo. Ora è cosa manifesta, che il* FRACASTORO *non potè morire l'anno 1548. mentre in lode di Giulio III. creato Papa l'anno 1550. compose egli quei versi Latini; e perciò l'errore del Crescimbeni, e di quello a cui si riporta, non ha difesa alcuna. Quindi si può con molto probabile fondamento credere, che l'Incerto Autore, come quegli che ebbe intorno al* FRACASTORO *più giuste notizie, non s'ingannasse neppure nel nominare il luogo della morte di esso. Uno scrupolo mi restava nell'animo, cioè che nelle stampe donde fu tratta la sua Edizione, v'avesse errore, e che peravventura si dovesse leggere Giulio II. in vece di Giulio III. perchè anche a tempo di Giulio II. il* FRACASTORO *era in età da poter compor versi; ma questo mio dubbio tosto svanì, mentre osservai che, essendo chiamato Giulio III. per cognome* de Monte, *il* FRACASTORO *in quella composizione scherza poeticamente in sul* Monte. *Ora questa mia osservazione mi pare che sia tale, che si possa porre in quella sua nuova, e bella Edizione, benchè fosse cominciata, ed inoltrata, mentre ogni luogo serve; sì perchè si correggono Autori di molto credito, quale è il Crescimbeni, e quegli a cui egli si appoggia; sì perchè in tal guisa la Vita scritta dall'Incerto Autore in tutte le altre cose acquista di molto credito, e verrà stimato nel restante veridico, e giusto scrittore; e sì ancora perchè, quando non si è fissata rettamente la nascita, e la morte di un Autore, intorno a quello si possono prendere di molti abbagli. Ora s'Ella si risolve col suo maturo giudizio, e con quello del dottissimo Fratello, di riporre questa mia scoperta nella già mentovata Edizione, io la prego, nell'estenderla, ch'Ella dica ch'io ne fui l'Autore; non ch'io pretenda di mendicar gloria, ed applauso da una sì fatta cosa, ma per-*

* Menckenius pag. 191. de anno mortis FRACASTORII hæc habet: *Annum mortis fuisse Seculi XVI. quinquagesimum tertium, Scriptores omnes inter se conveniunt; nisi quod, errore manifesto, quadragesimum Gerh. Jo. Vossius* Lib. III. de Art. ac Scient. Nat. cap. 64. p. m. 189. *& quadragesimum octavum Franciscus Sixtus Senensis statuat in* Biblioth. Sancta *pag.* 300. *Neque de die, qui fuit octavus Iduum Augusti controversia est. At de loco qui morientem vidit, major est Scriptorum dissensus. Sunt qui Patavium nominant, ut Jo. Jacobus Boissardus in* Iconibus Illustr. Vir. p. 130. *& hujus auctoritate, ut videtur, deceptus, Lud. Morerius in* Grand. Diction. *T. II. p. m.* 541. *sunt qui, Veronam, ut Onuphrius Panvinius in* Antiquit. Veron. Lib. VI. *alii denique, montes Caphios fatales Fracastorio perhibent, ut Thuanus, Franciscus Pola, & Autor Vitæ Fracastorii. Quæ ipsa, cum sit virorum fide dignissimorum, verior reliquis videtur sententia.*

perchè avendo io scoperto in tutta l'Opera della Volgar Poesia del Crescimbeni di moltissimi errori, che ne avrò scritti da dieci fogli di carta, non vorrei che, stampando io un giorno quelle mie correzioni, venisse detto che mi usurpo quello ch' è altrui. Ora la prego scusarmi per questo lungo disturbo, e di prendere in grado questa mia osservazione, se le può essere di uso; altrimenti, di riconoscere che, per quanto il mio debole ingegno ha potuto, mi sono sforzato di giovare a questa sua futura bellissima, e vaghissima Edizione, che sarà per appagare appieno gli animi di coloro che amano vedere gli eccellenti Autori in eccellente guisa pubblicati; e quivi facendo fine, e pregandola riverire distintamente il di Lei degnissimo fratello, mi protesto. ec.

Castelfranco 1. *Maggio* 1733.

SONETTO

DI MARIO MANDARINI,

MS. appresso il Signor ANTON-FEDERIGO SEGHEZZI, i passati giorni, a caso ritrovato in un suo antico libro.

MORTO *è il gran* FRACASTOR, *quel che nell'onde*
Del sacro Pegaseo le labbra tinse;
Quel ch'oggi, conoscendo, ogni altro vinse,
Quanto Natura in varie specie asconde.

Viver potea, se gli accidenti donde
L'uom si muor, prevedea; ma il cuor gli strinse,
E cauta la virtù subito estinse,
Quella ch' a' voti di mill' uom risponde.

Ben credea far vendetta, e gir superba
Uccidendo colui che mille palme
Con sua virtù di man le avea già tolto;

Ma, suo mal grado, in miglior vita il serba
Chiara Fama, fra belle e ben nat' alme
D'ogni legge mortal libero e sciolto.

Titulus sequentis Inscriptionis apud Bernardinum Scardeonium Historiæ Patavinæ pag. 85. quæ tamen a nobis ad amussim descripta fuit ex Editione I. Operum Fracastorii simul editorum, ubi legitur pag. 12. Proleg. utpote ab ipsius Rhamnusii manu.

LEX DEDICATIONIS ARAE

Sub arcu prope pontem S. Benedicti in tabula marmorea, & mutila, inventa pridem Salonæ in Dalmatia a Jo. Baptista Rhamnusio, & ab eodem mox in integrum restituta, atque ibidem collocata sub æneis capitibus Andreæ Naugerii & Hieronymi Fracastorii virorum illustrium.

LOCUS IMAGINIS A. NAUGERII. * LOCUS IMAGINIS H. FRACASTORII.

L. HELIO CÆSARE IMP.
P. Cœlio & Albino Vibullio Pio Coss.
VII Idus Octobres
Gn. Domitius Valens II Vir I D
Præeunte C. Iulio Seuero Pontif.
Legem dixit in ea verba quæ infra scripta sunt

Iuppiter optime maxime quādoq; tibi hodie hanc Aram dabo dedicaboq; ollis legibus ollisq; regionibus dabo dedicaboq; quas hic hodie palam dixero vti infimum solum huius aræ est Siquis hic hostia sacrum faxit quod magmentum nec protollat itcirco tamen probe factum esto cæteræ Leges huic aræ eædem sunto quæ aræ Dianæ sunt in Auentino Monte dictæ hisce legibus hisce regionibus sicuti dixi hanc tibi Aram Iuppiter Optime Maxime dico dedicoq; vti sis volens propitius mihi collegisq; meis Decurionibus Colonis Incolis Coloniæ Martiæ Iuliæ Salonæ coniugibus liberisq; nostris.

* De his Thuanus Lib. XII. Histor. ad an. 1553. hæc habet: *Æneæ Fracastorii & Andreæ Naugerii, Patritii Veneti, viri doctissimi, Effigies scitissime expressæ Patavii in Benedictino fornice visuntur, a Jo Baptista Rhamnusio, utrique amicissimo, positæ, addita antiquæ aræ pervetusta dedicatione, ex ruinis Salonæ urbis eruta, ut, qui arcta inter se necessitudine conjuncti vixerant, & pulcherrimarum rerum scientias ac politiores literas adeo excoluerant, eodem in loco spectarentur, & a juventute Patavina universoque Gymnasio cottidie salutarentur.* Quibus Cl. Menckenius pag. 199. & seq. plura & præmittit & subjungit in magnam Rhamnusianæ pietatis erga Fracastorium commendationem; qua excitati, & quam æmulati Veronenses Cives post duos annos, sequenti (*p.* xxxviii) Decreto huic Civi suo Statuam erexere.

LAU-

LAURENTII PIGNORII EPISTOLA AD ALBERTINUM BARISONUM ABBATEM.

*Quæ est Symbolarum * Epistolicarum Lib. I. Epist. XXX.*

EGo vero te, Vir Reverendissime, nisi amem & colam, ferreus plane, & saxeus sim. cum tu Patriam, & res patrias eo loci habeas ubi res haberi par est dignas cultu, & veneratione.

O duo præterea tales Patavina tulisset Terra viros! -----

Et sane mirum est, cum amor Patriæ unumquemque alliciat eo successu, ut Ulysses asperrimos Ithacæ scopulos præferat contubernio Calypsus, inveniri tamen homines adeo bardos quibus aliena tantum sapiant, vilescant sua. At te Cive ter beatam Patriam nostram; qui res exteras & nostrates apprime nôris, qui Romanas, & Græcas Antiquitates conjunxeris cum exacta notitia rerum Patavinarum, quas totas a carceribus ad metas non semel, neque cursim perlustrasti. Et sane habet Urbs nostra, magni conditoris & rerum gestarum gloria inclyta, non parva etiam nunc ornamenta, quæ hominem excultum politioribus Litteris queant cum fructu, & cum delectatione exercere. exemplo mihi sit vetus Inscriptio Rhamnusiana, quæ prostat in pariete fornicis prope Pontem quem appellant D. Benedicti. illius antiquum segmentum quod est aspectantibus ad dexteram, suppletum est nova recentioris lapidis adjectione, si Aldo Manutio credimus, ex fide vetusti Codicis. At illam religiose, ut æquum fuerat, neque illi exscripserunt qui res nostras attigerunt, neque exteri quantumvis docti, & eruditi. Manutius ipse bis peccavit, tum quia non pauca immutavit, tum quia rationes Orthographiæ suæ comprobare annisus est auctoritate segmenti recentioris. Smetius & Gruterus, decepti ab aliquo qui exceperat oscitanter, deceperunt & ipsi alios quibus hæc lustrare vel non contigit, vel non placuit. Andreas etiam Schottus V. Cl. qui omnem Antiquitatem callet, eamque lotis manibus contrectare amat, Observationes suas quas Humanas vocavit, hoc vetere monumento exornatas voluit, Lib. v. Cap. xi. parum tamen & ipse felix in exscribendo. Describam igitur ego nobilissimum hoc cimelium, bona utique fide, & accedam animo illustrandi, non carpendi consilio laudatam illorum industriam qui opes nostras vel eruerunt, vel indicarunt. & sane turpe est, hæc notiora advenis esse, quam incolis, nescio quo malo Italiæ nostræ fato plaudente, & bona quæque ingenia in Barbariei barathrum secum raptante. Verum obnitamur qua licet: sitque nobis, ut fortes viros decet, fatum in dextra. Ostendam autem primum quid peccatum sit in supplemento: deinde notabo quid peccaverint descriptores. tum autem connitar explicare quidquid erit operæ pretium. In segmento recentiore qui AELIVS semper fuit, perperam HELIVS factus est; & titulo IMPERATORIS numquam usus, Imperator evasit. addamus, *P. Cœlium* & *Balbinum* inepte disjungi. & quid, si scribendum fuerat OPTVME, MAXSVME, & FAXSIT? & hæc quoad supplementum. Marmoris quod vetus erat descripserunt Smetius, Aldus, Gruterus, Schottus; mendose omnes. Aldus pro VIBVLLIO substituit nobis VIRBVLIVM. pro HANC ARAM VTI; CETER; LEGIBVS; supposuit ARAM; VT; CE..RA; LEGIB. Smetius & Gruterus haud multo melius in eo-

* *Edita sunt Patavii* 1629. *apud Donatum Pasquardum & Socios in* 8.

LOCUS IMAGINIS A. NAUGERII. | LOCUS IMAGINIS H. FRACASTORII.

L. Helio Cæſare Imp. P. Cœlio & ALBINO VIBVLLIO PIO CO

VII Idus OCTOBRES

Cn. Domitius Valens II. vir ID. praEEVNTE C. IVLIO SEVERO PONTIF.

Legem dixit in ea Verba quæ infra SCRIPTA SVNT

Iuppiter optime maxime quandoque tibi hoDIE HANC ARAM DABO DEDICABOQVE OLLIS LEGIB.
Olliſque regionibus dabo dedicaboque quas hic hoDIE PALAM DIXERO VTI INFIMVM SOLVM HVIVS ARAE ES
Si quis hic hoſtia ſacrum faxit quod magmentum neC PROTOLLAT ITCIRCO TAMEN PROBE FACTVM ESTO CETER
Leges huic arae eaedem ſunto quae arae Dianae ſunt iN AVENTINO MONTE DICTAE HISCE LEGIBVS HISCE REGIONI
Sicuti dixi hanc tibi aram Iuppiter optime maxime DICO DEDICOQVE VTI SIS VOLENS PROPITIVS MIHI COLLEGISQ
Meis decurionibus colonis incolis coloniae martiae iVLIAE SALONAE CONIVGIBVS LIBERISQVE NOSTRI

Hujuſce Inſcriptionis pars quam charactere minuto exprimi juſſimus, novitia eſt. Antiquam littera quadrata Romana ſignandam curavimus, eo conſilio, ut unuſquiſque unico intuitu ſecernat antiquum a recente.

dem

dem argumento versati sunt. Schottus ipse, alienam fidem secutus, ut videtur, quod erat in marmore PIO CO fecit PROCOSS. quod erat EEVNTE, supplevit PRAETEREVNTE, & alia ad eundem modum. Nos primi bona fide repræsentamus. *Praire* autem est dictare verba solemnia, quod Pontificum erat, ut patet ex Livio nostro, Lib. VIII. & X. & Plin. Lib. XXIIX. Cap. II. *Magmentum*; cujus meminere Arnobius Lib. VII. adv. Gent. Varro L. IV. de L. L. & Festus (non MAGNENTVM, ut visum est doctissimo Turnebo, Lib. XXII. Adv. Cap. VI.) est *quoddam pinguissimum extum*, inquit Joannes Genuensis, *vel secundum profectum*. Cornutus: *Quidquid mactatur, vel quidquid distrahitur, dicitur* Magmentum. *ita narrat Hug. Papias etiam dicit:* Magmentum *alii pinguissimum intestinum, alii secunda profecta. Cornutus vero, quidquid mactatur vel distrahitur*. Prosiciarum autem extat mentio apud Arnobium. Festus: *Prosicium, quod prosecatum projicitur*. Eodem fere sensu eruditissimus Sigonius, Lib. II. de Antiquo Jure Provinciarum: *Quæ vero exta valde aucta erant, ea* Magmenta *dicta esse arbitror. cujus, ut sacrificalis vocis, mentio est apud Varronem, Festum, & Arnobium Libro adversus Gentes VII. & veteri Aræ Inscriptione quæ Narbone & Patavii legitur, in qua est:* SI QVIS HIC HOSTIA SACRVM FAXIT QVOD MAGMENTVM NEC PROTOLLAT ID CIRCO TAMEN PROBE FACTVM ESTO, *vovet enim aram ille, cum ea conditione, ut etiam si sacrificium* Magmentum, *id est exta aucta non ostendat, nihil tamen triste portendat. unde* Magmentaria *vasa esse quidam putarunt, in quibus ipsa* Magmenta *reponerentur*. impegit tamen & Sigonius ad hunc lapidem, cum veterem Inscriptionem appellârit, quæ pro dimidia tantum vetus erat. *Leges* quæ dicuntur & *Regiones* sunt Haruspicum sollemnia effata. quo spectat insignis locus M. Varronis Lib. VI. de L. L. in principio fere Libri. & hisce Regionibus aptabant præsides Deos, uti prolixe ridet Arnobius. Lib. IV. VTI SIS VOLENS PROPITIVS. Cato de R. R. Tit. CXXXIV. *Jane Pater te hac strue commovenda bonas preces precor uti sies volens propitius mihi liberisque meis, domo familiaque meæ*. neque sane aliter Livius, Lib. XXIX. *Eæ per manus succedentes, aliæ aliis, omni effusa civitate obviam, thuribulis ante januas positis, qua præferebatur, atque accenso thure, precantibus ut volens propitiaque urbem Romam iniret*. Cœlium Balbinum quem diximus monstravit nobis antiquus Lapis apud Onufr. Panvinum, Civ. Romana.

P. COELIO. P. F.

SER. BALBINO
VIBVLLIO PIO
XVIRO STLITIB. IVDIC &c.

Et alter apud Gruterum, MIX. 6. in quo legitur:

L. AELIO. CAESARE II.
P. COELIO BALBINO COS

ex quo Fulvins Ursinus in gente Postumia restituebat in nostra Inscriptione:

L. AELIO CAESARE II

illud enim IMP. ut diximus, absonum omnino est. Hæc abs te non improbari, Vir Reverendissime, votorum meorum summa est. ex Bibliotheca nostra. XII. Kal. Mart. MDCXXVI.

EXEM-

EXEMPLUM (1) EX ACTIS
CONSILIORUM
MAGNIFICÆ COMMUNITATIS VERONÆ.

Die Jovis post Nonam, XXI. Novembris, M. D. LV. In Camera Consilii, in Consilio Duodecim, & Quinquaginta, præsentibus Clarissimis Rectoribus, & Magnificis Dominis Camerariis, in vocibus Quinquaginta octo.

Pro erigenda Statua marmorea Excellentissimo Domino HIERONYMO FRACASTORIO *Poetæ Clarissimo felicis memoriæ, posita fuit Pars infrascripta, Die XII. Instantis publicata, & nunc repetita, & capta de Ballotis XLV. Pro, & XIII. Contra. cujus tenor est, videlicet:*

EA FUIT virtus, & diversarum scientiarum cognitio Excellentissimi Domini HIERONYMI FRACASTORII Civis nostri, ut inopinata ejus mors ingentis mœroris, & luctus caussam non solum nobis, & cunctis Italiæ Civitatibus præbuerit, sed etiam multis barbaris nationibus, ad quas tanti Viri fama pervenerat. Ille enim Philosophiæ, & Medicinæ (2) peritia nostri temporis celeberrimos homines æquavit: Humaniorum vero litterarum scientia, & in primis Poesi, sicuti multos ex veteribus, ita omnes qui post annos mille quingentos aliquod in eo genere scribendi nomen habuere, superavit. Testantur divinum illud SYPHILIDIS, sive DE MORBO GALLICO, Poema, Heroico carmine scriptum: atque item Libri duo, nuncupati JOSEPH, quos morte præventus absolvere non potuit, compluresque alii lusus Poetici, qui nuperrime (3) in lucem prodiere. Proinde quum patres nostri eos etiam Cives suos qui ante humani generis Redemtionem singulari quadam eruditione, ac ingenii splendore floruere, publicis monumentis, & imaginibus decorandos censuerint; NOS etiam tantum Virum, Nobili genere ortum, tamque illustrem Poetam, quem nos ipsi aluimus, & in patriæ

(1) *Necesse non erat Cl. Menckenio tantum laboris sumere, ut ex libro, quemadmodum ille ait pag.* 201. mutilato, lectuque admodum difficili *hoc Exemplum transcriberet; cum id multo facilius ex I. nostra* FRACASTORII *Carminum Editione, illi notissima, duci posset, ubi legitur pag.* XXIII.

(2) *Vide pag.* XL.

(3) *Hic, princeps Operum* FRACASTORII *simul junctorum ab ejus amicis procurata Editio, de qua à nobis pluries memoratum, evidenter innuitur, quæ prodiit eodem anno quo præsens Decretum factum est.*

patriæ (4) ſinu morientem vidimus, pari honoris, & gloriæ titulo defraudare non debemus: Et ideo ad propoſitionem Spectabilis Domini Chriſtophori Fracaſtorii Proviſoris Communis,

VADIT Pars, poſita per Spectabiles Dominos Proviſores, & Conſilium Duodecim, quod majorum noſtrorum exemplo, qui Catullum, * Plinium, & reliquos Cives ſuos, qui in diverſis ſcribendi facultatibus præſtitere, ex veterum inſtituto marmoreis imaginibus honeſtare voluerunt, erigatur ipſius Domini HIERONYMI marmorea Statua, Poetæ habitum referens, redimitaque tempora Lauro, ſupra Arcum viæ, Salæ hujus Conſilii contiguæ, juxta ordinem reliquarum conſtituenda.

Locus Sigilli.

Angelus Zavariſius Cancell. Communis.

(4) *Hac verba omnem de* FRACASTORII *mortis loco controverſiam terminare, & funditus tollere deberent.*

(5) Perquam appoſite Bernardinus Scardeonius noſter in Hiſtoriæ Patavinæ Præfatione, pag. 3. *Veronenſes Plinium Secundum Civem ſuum eſſe aſſeverant; Novocomenſes contra, ſuum. Qui quidem veriti, ne quando & in altero Cive ſuo idem forte contingat,* HIERONYMUM FRACASTORIUM, *ſummum philoſophum, optimum medicum, vatem eximium (ut omittamus cetera) publico decreto Statua in foro honorificentiſſime collocata honeſtandum cenſuerunt.*



CL.



C L. M E N C K E N I U S H I S T. S U Æ
pagina 198.

Præclara eſt & monumento FRACASTORII ſepulchrali egregie accommodata Inſcriptio quam poſuit ei dedicavitque
NICOLAUS REUSNERUS
in Iconibus, ſub lit. *o* 1.

HIERONYMUS FRACASTORIUS,
VERONENSIS;
PHILOSOPHUS, POETA, * MEDICUS, ASTROLOGUS
EMINENTISSIMUS,
QUO NEMO IN LITERIS ABSOLUTÆ VIRTUTIS
SPECIMEN ILLUSTRIUS,
NEMO CONSUMMATÆ GLORIÆ SPEM
DEDERAT CERTIOREM;
ARGUMENTO ESSE POTEST DIVINUM EJUS POEMA
SYPHILIDIS NOMINE INSCRIPTUM;
RERUM NATURÆ INDAGANDÆ TOTUS DEDITUS:
POST MULTA ET VITÆ ET DOCTRINÆ PRÆCLARA
EXEMPLA, MORTALITATI NATURÆ
RENUNCIAVIT.
PATAVII † SEPULTUS ANNO CHRISTIANO M. D. LIII.


* *Petrus tamen Caſtellanus* de Medicis Illuſtribus *nullam, quod valde mirere, de* Fracaſtorio *mentionem facit*

† *Errant vehementer Jo. Jac. Boiſſardus in* Icon. *pag.* 130. *& Nic. Reuſnerus in* Icon. *ſub lit. o* 1 *Patavii ſepultum perhibentes* Fracaſtorium. *Et Boiſſardus quidem, cum defunctum Patavii falſo rumore audiiſſet, quod diximus ſub* not. (a) *hujus* §. *ex errore errorem traxit. Veriora nos docent Jac. Auguſtus Thuanus, Franciſcus Pola, & Autor Vitæ* Frac. *qui, ex Caphiis Veronam deductas* Fracaſtorii *exuvias, & in templo quod D. Euphemiæ ſacrum habetur, ædibus* Fracaſtorii *vicino,* honorificentiſſimo funere, *ſepultas, referunt. Forte Boiſſardo & Reuſnero errandi anſam dedit Statua, (verius* Imago) *Patavii* Fracaſtorio *poſita a Jo. Bapt. Rhamnuſio.* Ita Menckenius pag. 192. & ſeq.



HIE-

HIERONYMI
FRACASTORII
VERONENSIS
SYPHILIDIS,
SIVE DE
MORBO GALLICO
LIBRI TRES,
AD
PETRUM BEMBUM.



HIERONYMI FRACASTORII

SYPHILIDIS,

SIVE DE

MORBO GALLICO

AD PETRUM BEMBUM,

LIBER I.


UI casus rerum varii, quæ semina morbum
Insuetum, nec longa ulli per secula visum
Attulerint: nostraqui tempestate per omnem
Europam, partimque Asiæ, Libyæque per urbes
Sæviit: in Latium vero per tristia bella
Gallorum irrupit, nomenque a gente recepit:
Necnon & quæ cura, & opis quid comperit usus,
Magnaque in angustis hominum solertia rebus,
Et monstrata deûm auxilia, & data munera cæli
Hinc canere, & longe secretas quærere caussas
Aera per liquidum, & vasti per sidera Olympi
Incipiam: dulci quando novitatis amore

Correptum, placidi Naturæ ſuavibus horti
Floribus invitant, & amantes mira Camœnæ.
BEMBE, decus clarum Auſoniæ, ſi forte vacare
Conſultis LEO te a magnis paullisper, & alta
Rerum mole ſinit, totum qua ſuſtinet orbem:
Et juvat ad dulces paullum ſecedere Muſas:
Ne noſtros contemne orſus, medicumque laborem,
Quidquid id eſt. deus hæc quondam dignatus Apollo eſt:
Et parvis quoque rebus ineſt ſua ſæpe voluptas.
Scilicet hac tenui rerum ſub imagine multum
Naturæ, fatique ſubeſt, & grandis origo.
Tu mihi, quæ rerum cauſſas, quæ ſidera noſcis,
Et cæli effectus varios, atque aeris oras,
Uranie, (ſic dum puro ſpatiaris Olympo,
Metiriſque vagi lucentes ætheris ignes,
Concentu tibi divino cita ſidera plaudant)
Ipſa ades, & mecum placidas, dea, lude per umbras,
Dum tenues auræ, dum myrtea ſilva canenti
Aſpirat, reſonatque cavis Benacus ab antris.
Dic, dea, quæ cauſſæ nobis poſt ſecula tanta
Inſolitam peperere luem? num tempore ab illo
Vecta mari occiduo noſtrum pervenit in orbem,
Ex quo lecta manus ſolvens de litore Ibero
Auſa fretum tentare, vagique incognita ponti eſt
Æquora, & orbe alio poſitas perquirere terras?
Illic namque ferunt æterna labe per omnes
Id morbi regnare urbes, paſſimque vagari
Perpetuo cæli vitio, atque ignoſcere paucis.
Commercîne igitur cauſſa acceſſiſſe putandum eſt
Delatam contagem ad nos, quæ parva ſub ipſis

Prin-

Principiis, mox & vires & pabula ſenſim
Suſcipiens, ſe ſe in terras diffuderit omnes?
Ut ſæpe in ſtipulas cecidit quum forte favilla
De face, neglectam paſtor quam liquit in arvo,
Illa quidem tenuis primum, ſimiliſque moranti
Incedit: mox, ut paullatim increvit eundo,
Tollitur, & victrix meſſem populatur & agros,
Vicinumque nemus, flammaſque ſub æthera jactat.
Dat ſonitum longe crepitans Jovis avia ſilva,
Et cælum late circum, campique relucent.
At vero, ſi rite fidem obſervata merentur,
Non ita cenſendum: nec certe credere par eſt
Eſſe peregrinam nobis, tranſque æquora vectam
Contagem: quoniam in primis oſtendere multos
Poſſumus, attactu qui nullius hanc tamen ipſam
Sponte ſua ſenſere luem, primique tulere.
Præterea & tantum terrarum tempore parvo
Contages non una ſimul potuiſſet obire.
Aſpice per Latii populos, quique herbida Sagræ
Paſcua, & Auſonios ſaltus, & Iapygis oræ
Arva colunt: ſpecta, Tiberis qua labitur, & qua
Eridanus centum fluviis comitatus in æquor,
Centum urbes rigat, & placidis interfluit undis:
Uno nonne vides ut tempore peſtis in omnes
Sæviit? ut ſortem pariter tranſegimus unam?
Quinetiam externos eadem per tempora primum
Excepiſſe ferunt: nec eam cognovit Ibera
Gens prius, ignotum quæ ſcindere puppibus æquor
Auſa fuit, quam quos diſterminat alta Pyrene,
Atque freta, atque Alpes cingunt, Rhenuſque bicornis:

Quam

Quam reliqui, quos lata tenet gelida ora ſub Arcto.
Tempore non alio, Pœni, ſenſiſtis, & omnes
Qui lætam Ægyptum metitis, fœcundaque Nilo
Arva, & palmiferæ ſilvas tondetis Idumes.
Quæ quum ſic habeant ſe ſe, nempe altius iſti
Principium labi, rerumque latentior ordo,
(Ni fallor) graviorque ſubeſt, & major origo.
Principio quæque in terris, quæque æthere in alto,
Atque mari in magno Natura educit in auras,
Cuncta quidem nec ſorte una, nec legibus iiſdem
Proveniunt: ſed enim quorum primordia conſtant
E paucis, crebro ac paſſim pars magna creantur:
Rarius aſt alia apparent, & non niſi certis
Temporibuſve, lociſve, quibus violentior ortus,
Et longe ſita principia: ac nonnulla prius quam
Erumpant tenebris & opaco carcere noctis,
Mille trahunt annos, ſpatioſaque ſecula poſcunt.
Tanta vi coeunt genitalia ſemina in unum.
Ergo & morborum quoniam non omnibus una
Naſcendi eſt ratio, facilis pars maxima viſu eſt,
Et faciles ortus habet, & primordia præſto:
Rarius emergunt alii, & poſt tempore longo
Difficiles cauſſas, & inextricabile fatum,
Et ſero potuere altas ſuperare tenebras.
Sic elephas ſacer Auſoniis incognitus oris,
Sic lichen latuere diu, quibus incola Nili
Gens tantum, regioque omnis vicina laborat.
De genere hoc eſt dira lues quæ nuper in auras
Exiit, & tandem ſe ſe caligine ab atra
Exemit, duroſque ortus, & vincula rupit.

Quam

Quam tamen (æternum quoniam dilabitur ævum)
Non ſemel in terris viſam, ſed ſæpe fuiſſe
Ducendum eſt, quamquam nobis nec nomine nota
Hactenus illa fuit: quoniam longæva vetuſtas,
Cuncta ſitu involvens, & res, & nomina delet:
Nec monumenta patrum ſeri videre nepotes.
Oceano tamen in magno ſub Sole cadente,
Qua miſera inventum nuper gens accolit Orbem,
Paſſim oritur, nulliſque locis non cognita vulgo eſt.
Uſque adeo rerum cauſſæ, atque exordia prima
Et cælo variare, & longo tempore poſſunt.
Quodque illic fert ſponte aer, & idonea tellus,
Huc tandem annorum nobis longa attulit ætas.
Cujus forte ſuo ſi cunctas ordine cauſsas
Noſse cupis, magni primum circumſpice mundi
Quantum hoc infecit vitium, quot adiverit urbes,
Quumque animadvertas tam vaſtæ ſemina labis
Eſſe nec in terræ gremio, nec in æquore poſſe,
Haud dubie tecum ſtatuas reputeſque, neceſſe eſt,
Principium, ſedemque mali conſiſtere in ipſo
Aere, qui terras circum diffunditur omnes,
Qui nobis ſe ſe inſinuat per corpora ubique,
Suetus & has generi viventum immittere peſtes.
Aer quippe pater rerum eſt, & originis auctor.
Idem ſæpe graves morbos mortalibus affert,
Multimode natus tabeſcere corpore molli,
Et facile affectus capere, atque inferre receptos.
Nunc vero, quonam ille modo contagia traxit,
Accipe: quid mutare queant labentia ſecla.
In primis tum Sol rutilus, tum ſidera cuncta

Tel-

Tellurem, liquidaſque auras, atque æquora ponti
Immutant, agitantque: utque ipſo ſidera cælo
Mutavere vicem, & ſedes liquere priores,
Sic elementa modis variis ſe grandia vertunt.
Aſpice, ut, hibernus rapidos ubi flexit in Auſtrum
Phœbus equos, noſtrumque videt depreſſior orbem,
Bruma riget, duratque gelu, ſpargitque pruina
Tellurem, & gelida glacie vaga flumina ſiſtit.
Idem, ubi nos Cancro propior ſpectavit ab alto,
Urit agros; arent nemora, & ſitientia prata,
Siccaque pulvereis æſtas ſqualleſcit in arvis.
Nec dubium, quin & noctis nitor, aurea Luna,
Cui maria alta, omnis cui rerum obtemperat humor:
Quin & Saturni grave ſidus, & æquior orbi
Stella Jovis: quin pulchra Venuſque, & Martius ignis,
Ac reliqua aſtra etiam mutent elementa, trahantque
Perpetuum, & late magnos dent undique motus:
Præcipue ſedem ſi quando plurima in unam
Convenere, ſuo vel multum devia curſu
Longe alias tenuere vias. hæc ſcilicet annis
Pluribus, & rapidi poſt multa volumina cæli
Eveniunt, diis fata modis volventibus iſtis.
Ut vero eveniſse datum eſt, numerumque dieſque
Exegere ſuos, præfixaque tempora fatis,
Proh quanta aerios tractus, ſalſa æquora quanta,
Telluremque manent! alibi quippe omnia late
Cogentur ſpatia in nubes, cælum imbribus omne
Solvetur, ſummiſque voluti montibus amnes
Præcipites ſecum ſilvas, ſecum aſpera ſaxa,
Secum armenta trahent: medius pater impete magno

Aut

Aut Padus, aut Ganges ſuper & nemora alta, domoſque
Turbidus, æquabit pelago freta lata ſonante.
Æſtates alibi magnæ condentur, & ipſæ
Flumina ſpeluncis flebunt arentia Nymphæ.
Aut venti cuncta invertent, aut obice clauſi
Excutient tellurem imam, & cum turribus urbes.
Forſitan & tempus veniet, poſcentibus olim
Natura, fatiſque deûm, quum non modo tellus
Nunc culta, aut obducta mari, aut deſerta jacebit,
Verum etiam Sol ipſe novum (quis credere poſſit?)
Curret iter, ſua nec per tempora diffluet annus:
Aſt inſueti æſtus, inſuetaque frigora mundo
Inſurgent, & certa dies animalia terris
Monſtrabit nova, naſcentur pecudeſque feræque
Sponte ſua, primaque animas ab origine ſument.
Forſitan & majora audens producere tellus
Cœumque, Enceladumque feret, magnumque Typhoea,
Auſuros patrio ſuperos detrudere cælo,
Convulſumque Oſſan nemoroſo imponere Olympo.
Quæ quum perſpicias, nihil eſt, cur tempore certo
Admirere novis magnum marceſcere morbis
Aera, contageſque novas viventibus ægris
Sidere ſub certo fieri, & per ſecula longa.
  Bis centum fluxere anni, quum flammea Marte
Lumina Saturno triſti immiſcente, per omnes
Auroræ populos, per quæ rigat æquora Ganges,
Inſolita exarſit febris, quæ pectore anhelo
Sanguineum ſputum exagitans (miſerabile viſu)
Quarta luce frequens fato perdebat acerbo.
Illa eadem Aſſyriæ gentes, & Perſidos, & quæ

Euphratem, Tigrimque bibunt, poſt tempore parvo
Corripuit, diteſque Arabas, mollemque Canopum:
Inde Phrygas, inde & miſerum trans æquora vecta
Infecit Latium, atque Europa ſæviit omni.
  Ergo age jam mecum, ſemper ſe ſe æthera circum
Volventem, ſuperûmque domos, ardentiaque aſtra
Contemplare, animumque agitans per cuncta, require,
Quis ſtatus illorum fuerit, quæ ſigna dedere
Sidera, quid noſtris cælum portenderit annis:
Hinc etenim tibi forte novæ contagis origo
Omnis, & eventus tanti via prima pateſcet.
Aſpice, candentes magni qua Cancer Olympi
Excubat ante fores, & brachia pandit aperta:
Hinc diræ facies, hinc ſe diverſa malorum
Oſtendent portenta: una hac ſub parte videbis
Magna coiſſe ſimul radiis ardentibus aſtra,
Et conjuratas ſparſiſſe per aera flammas:
Flammas, quas longe tumulo Sirenis ab alto
Proſpiciens ſenior Vates, quem dia per omnes
Cælicolûmque domos duxit, docuitque futura
Uranie: Miſeras, inquit, defendite terras,
O ſuperi; inſolitam video per inania ferri
Illuviem, & magnos cæli tabeſcere tractus:
Bella etiam Europæ miſeræ, bella impia, & agros
Auſoniæ paſſim currentes ſanguine cerno.
Dixit, & illa etiam ſcriptis ventura notavit.
  Mos ſuperûm eſt, ubi ſecla vagus Sol certa peregit,
Ab Jove decerni fata, & cuncta ordine pandi,
Quæcumque eventura manent terraſque, polumque.
Quod tempus quum jam noſtris venientibus annis

In-

Inſtaret, rerum ſummus ſator, & ſuperûm rex
Juppiter acciri ſocios in rebus agendis
Saturnum, Martemque jubet: bipatentia Cancer
Limina portarum reſerat, diiſque atria pandit.
Conveniunt quibus eſt fatorum cura gerenda.
Impiger ante alios flammis ferroque coruſcans
Bellipotens Mavors, animis cui prœlia & arma,
Vindictæque manent, & ovantes ſanguine cædes.
Poſt placidus curru invectus rex Juppiter aureo
Inſequitur (ni fata obſtent) pater omnibus æquus.
Poſtremus, longaque via tardatus & annis
Falcifer accedit ſenior, qui haud immemor iræ
In natum veteris, nato & parere recuſans,
Sæpe etiam ceſſit retro, & veſtigia torſit,
Multa minans, multumque animo indignatus iniquo.
Juppiter at ſolio ex alto, quo ſe ſolet uno
Tollere, percenſet fata, & ventura reſolvit,
Multum infelicis miſerans incommoda terræ,
Bellaque, fortunaſque virûm, caſuraque rerum
Imperia, & prædas, adapertaque limina morti:
In primis ignota novi contagia morbi:
Morbi, qui humanæ nulla manſueſcat opis vi.
Aſſenſere dei reliqui: concuſſus Olympus
Intremuit, tactuſque novis defluxibus æther.
Paullatim aerii tractus, & inania lata
Accepere luem, vacuaſque inſuetus in auras
Marcor iit, cælumque tulit contagia in omne.
Sive quod ardenti tot concurrentibus aſtris
Cum Sole, e pelago multos terraque vapores
Traxerit ignea vis, qui miſti tenuibus auris,

Correptique novo vitio, contagia visu
Perrara attulerint: aliud sive æthere ab alto
Demissum late aerias corruperit oras.
Quamquam animi haud fallor, quid agat, quove ordine cælum,
Dicere, & in cunctis certas perquirere caussas
Difficile esse: adeo interdum per tempora longa
Effectus trahit, interdum (quod fallere possit)
Miscentur fors, & varii per singula casus.
Nunc age non id te lateat, super omnia miram
Naturam, & longe variam contagibus esse.
Solis nam sæpe arboribus fit noxius aer,
Et tenerum germen, florumque infecit honorem:
Interdum segetem, & sata læta, annique labores
Corripuit, scabraque ussit rubigine culmos;
Et vitiata parens produxit semina tellus.
Interdum pœnas animalia sola dedere,
Aut multa, aut certa ex ipsis. memini ipse malignam
Luxuriem vidisse anni, multoque madentem
Autumnum perflatum Austro, quo protinus omne
Caprigenum pecus e cunctis animantibus unum
Corruit. a stabulis lætas ad pabula pastor
Ducebat: tum forte, alta securus in umbra
Dum caneret, tenuique gregem mulceret avena,
Ecce aliquam tussis subito irrequieta tenebat,
Nec longe via mortis erat: namque acta repente
Circum præcipiti lapsu, revomensque supremam
Ore animam, socias inter moribunda cadebat.
Vere autem (dictu mirum!) atque æstate sequenti
Infirmas pecudes, balantumque horrida vulgus
Pestis febre mala miserum pæne abstulit omne.

Usque

Usque adeo varia affecti sunt semina cæli,
Et variæ rerum species, numerusque vicissim
Inter mota subest, interque moventia certus.
Nonne vides, quamvis oculi sint pectore anhelo
Expositi mollesque magis, non attamen ipsos
Carpere tabem oculos, sed se se immergere in imum
Pulmonem? & pomis quamquam sit mollior uva,
Non tamen iis vitiatur, at ipsa livet ab uva.
Nempe alibi vires, alibi sua pabula desunt:
Ast alibi mora certa, nec ipsa foramina multum
Non faciunt, hinc densa nimis, nimis inde soluta.
Ergo contagum quoniam natura genusque
Tam varium est, & multa modis sunt semina miris,
Contemplator & hanc, cujus cælestis origo est:
Quæ, sicut desueta, ita mira erupit in auras.
Illa quidem non muta maris, turbamque natantum,
Non volucres, non bruta altis errantia silvis,
Non armenta boum, pecudesve, armentave equorum
Infecit, sed mente vigens ex omnibus unum
Humanum genus, & nostros est pasta sub artus.
Porro homine e toto, quod in ipso sanguine crassum
Et sordens lentore foret, fœdissima primum
Corripuit, se se pascens uligine pingui.
Tali se morbus ratione & sanguis habebant.
Nunc ego te affectus omnes, & signa docebo
Contagis miseræ: atque utinam concedere tantum
Musa queat, tantumque velit defendere Apollo,
Tempora qui longa evolvit, cui carmina curæ,
Hæc multas monumenta dies ut nostra supersint.
Forte etenim nostros olim legisse nepotes,

Et

Et ſigna, & faciem peſtis noviſſe juvabit.
Namque iterum, quum fata dabunt, labentibus annis
Tempus erit quum nocte atra ſopita jacebit
Interitu data: mox iterum poſt ſecula longa
Illa eadem exſurget, cælumque auraſque reviſet,
Atque iterum ventura illam mirabitur ætas.
In primis mirum illud erat, quod labe recepta,
Sæpe tamen quater ipſa ſuum compleverat orbem
Luna prius, quam ſigna ſatis manifeſta darentur.
Scilicet extemplo non ſe ſe prodit aperte,
Ut ſemel eſt excepta intus, ſed tempore certo
Delitet, & ſenſim vires per pabula captat.
Interea tamen inſolito torpore gravati,
Sponteque languentes animis, & munera obibant
Ægrius, & toto ſegnes ſe corpore agebant.
Ille etiam ſuus ex oculis vigor, & ſuus ore
Dejectus color haud læta de fronte cadebat.
Paullatim caries fœdis enata pudendis
Hinc atque hinc invicta locos, aut inguen edebat.
Tum manifeſta magis vitii ſe prodere ſigna.
Nam, ſimul ac puræ fugiens lux alma diei
Ceſſerat, & noctis triſtes induxerat umbras,
Innatuſque calor noctu petere intima ſuetus
Liquerat extremum corpus, nec membra fovebat
Obſita mole pigra humorum, tum vellier artus,
Brachiaque, ſcapulæque gravi, ſuræque dolore.
Quippe, ubi per cunctas ierant contagia venas,
Humoreſque ipſos, & nutrimenta futura
Polluerant, Natura malum ſecernere ſueta
Infectam partem pellebat corpore ab omni

Exterius: verum craſſo quia corpore tarda
Hæc erat, & lentore tenax, multa inter eundum
Hærebat membris exſanguibus, atque lacertis.
Inde graves dabat articulis extenta dolores.
Parte tamen leviore, magiſque erumpere nata,
Summa cutis pulſa, & membrorum extrema petebat.
Protinus informes totum per corpus achores
Rumpebant, faciemque horrendam, & pectora fœde
Turpabant: ſpecies morbi nova: puſtula ſummæ
Glandis ad effigiem, & pituita marcida pingui:
Tempore quæ multo non poſt adaperta dehiſcens,
Mucoſa multum ſanie, taboque fluebat.
Quin etiam erodens alte, & ſe funditus abdens
Corpora paſcebat miſere: nam ſæpius ipſi
Carne ſua exutos artus, ſquallentiaque oſſa
Vidimus, & fœdo roſa ora dehiſcere hiatu,
Ora, atque exiles reddentia guttura voces.
Ut ſæpe aut ceraſis, aut Phyllidis arbore triſti
Vidiſti pinguem ex udis manare liquorem
Corticibus, mox in lentum dureſcere gummi:
Haud ſecus hac ſub labe ſolet per corpora mucor
Diffluere: hinc demum in turpem concreſcere callum.
Unde aliquis ver ætatis, pulchramque juventam
Suſpirans, & membra oculis deformia torvis
Proſpiciens, fœdoſque artus, turgentiaque ora,
Sæpe deos, ſæpe aſtra miſer crudelia dixit.
Interea dulces ſomnos, noctiſque ſoporem
Omnia per terras animalia feſſa trahebant:
Illis nulla quies aderat, ſopor omnis in auras
Fugerat: iis oriens ingrata Aurora rubebat:

Iis inimica dies, inimicaque noctis imago.
Nulla Ceres illos, Bacchi non ulla juvabant
Munera: non dulces epulæ, non copia rerum,
Non urbis, non ruris opes, non ulla voluptas,
Quamvis sæpe amnes nitidos, jucundaque Tempe,
Et placidas summis quæsissent montibus auras.
Diis etiam sparsæque preces, incensaque templis
Tura, & divitibus decorata altaria donis:
Dii nullas audire preces, donisve moveri.
Ipse ego Cenomanûm memini qua pinguia dives
Pascua Sebina præterfluit Ollius unda,
Vidisse insignem Juvenem, quo clarior alter
Non fuit, Ausonia nec fortunatior omni:
Vix pubescentis florebat vere juventæ,
Divitiis proavisque potens, & corpore pulchro:
Cui studia aut pernicis equi compescere cursum,
Aut galeam induere, & pictis splendescere in armis,
Aut juvenile gravi corpus durare palæstra,
Venatuque feras agere, & prævertere cervos:
Illum omnes Ollîque deæ, Eridanique puellæ
Optarunt, nemorumque deæ, rurisque puellæ:
Omnes optatos suspiravere hymenæos.
Forsan & ultores superos neglecta vocavit
Non nequicquam aliqua, & votis pia numina movit:
Nam nimium fidentem animis, nec tanta timentem
Invasit miserum labes, qua sævior usquam
Nulla fuit, nulla umquam aliis spectabitur annis.
Paullatim ver id nitidum, flos ille juventæ
Disperiit, vis illa animi: tum squallida tabes
Artus (horrendum!) miseros obduxit: & alte


Gran-

Grandia turgebant fœdis abſceſſibus oſſa.
Ulcera (proh divûm pietatem !) informia pulchros
Paſcebant oculos, & diæ lucis amorem,
Paſcebantque acri coroſas vulnere nares.
Quo tandem infelix fato, poſt tempore parvo
Ætheris inviſas auras, lucemque reliquit.
Illum Alpes vicinæ, illum vaga flumina flerunt:
Illum omnes Ollîque deæ, Eridanique puellæ
Fleverunt, nemorumque deæ, ruriſque puellæ:
Sebinuſque alto gemitum lacus edidit amne.
  Ergo hanc per miſeras terras Saturnus agebat
Peſtem atrox, nec ſæva minus crudelis & ipſe
Miſcebat Mavors, conjunctaque fata ferebat.
Quippe lue hac naſcente, putem ſimul omnia diras
Eumenidas ceciniſſe fera & crudelia nobis.
Tartareos etiam barathro dira omnia ab imo
Exciviſſe lacus, Stygiaque ab ſede laborem,
Peſtemque, horribilemque famem, bellumque, necemque.
Dii patrii, quorum Auſonia eſt ſub numine, tuque
Tu Latii, Saturne, pater, quid gens tua tantum
Eſt merita? an quidquam ſupereſt dirique graviſque,
Quod ſit inexhauſtum nobis? ecquod genus uſquam
Averſum uſque adeo cælum tulit? ipſa labores,
Parthenope, dic prima tuos, dic funera regum,
Et ſpolia, & prædas, captivaque colla tuorum.
An ſtragem infandam memorem, ſparſumque cruorem
Gallorumque, Italûmque pari diſcrimine, quum jam
Sanguineum, & defuncta virûm, defunctaque equorum
Corpora volventem, criſtaſque atque arma trahentem.
Eridanus pater acciperet rapido agmine Tarrum?

Te quoque ſpumantem, & noſtrorum cæde tumentem,
Abdua, non multo poſt tempore, te pater idem
Eridanus gremio infelix ſuſcepit, & altum
Indoluit tecum, & fluvio ſolatus amico eſt.
  Auſonia infelix, en quo diſcordia priſcam
Virtutem, & mundi imperium perduxit avitum.
Angulus anne tui eſt aliquis, qui barbara non ſit
Servitia, & prædas, & triſtia funera paſſus?
Dicite vos, nullos ſoliti ſentire tumultus,
Vitiferi colles, qua flumine pulcher amœno
Erethenus fluit, & plenis lapſurus in æquor
Cornibus, Euganeis properat ſe jungere lymphis.
  O patria, o longum felix, longumque quieta
Ante alias, patria o divûm ſanctiſſima tellus,
Dives opum, fœcunda viris, lætiſſima campis
Uberibus, rapidoque Atheſi, & Benacide lympha,
Ærumnas memorare tuas, ſummamque malorum
Quis queat? & dictis noſtros æquare dolores,
Et turpes ignominias, & barbara juſſa?
Abde caput, Benace, tuo & te conde ſub amne,
Victrices nec jam deus interlabere lauros.
  En etiam, ceu nos agerent crudelia nulla,
Nec lacrimæ planctuſve forent, en dura tot inter,
Spes Latii, ſpes & ſtudiorum, & Palladis illa
Occidit: ereptum Muſarum e dulcibus ulnis
Te miſerum ante diem crudeli funere, MARCE
ANTONI, ætatis primo ſub flore cadentem
Vidimus extrema poſitum Benacide ripa,
Quam media inter ſaxa ſonans Sarca abluit unda.
Te ripæ flevere Atheſis, te voce vocare

Au-

Auditæ per noctem umbræ manesque Catulli,
Et patrios mulcere nova dulcedine lucos.
 Tempestate illa Ausoniam Rex Gallus opimam
Vertebat bello, & Ligurem ditione premebat.
Parte alia, Cæsar ferro superabat & igni
Euganeos, placidumque Silim, Carnumque rebellem:
Et totum luctus Latium, mœrorque tenebat.





HIERONYMI FRACASTORII

SYPHILIDIS, *SIVE DE* MORBO GALLICO AD PETRUM BEMBUM,

LIBER II.



UNC age, quæ vitæ ratio, quæ cura adhibenda
Perniciem adversus tantam, quid tempore quoque
Conveniat (nostri quæ pars est altera cœpti)
Expediam, & miranda hominum comperta docebo.
Quippe nova quum re attoniti, multa irrita primum
Tentassent, tamen angustis solertia major
In rebus, crescensque usu experientia longo
Evicere: datumque homini protendere longe
Auxilia, & certis pestem compescere vinclis,
Victorem & se se claras attollere in auras.

Cre-

Credo equidem & quædam nobis divinitus esse
Inventa, ignaros fatis ducentibus ipsis.
Nam, quamquam fera tempestas, & iniqua fuerunt
Sidera, non tamen omnino præsentia divûm
Absuit a nobis, placidi & clementia cæli.
Si morbum insolitum, si dura & tristia bella
Vidimus, & sparsos dominorum cæde penates,
Oppidaque, incensasque urbes, subversaque regna,
Et templa, & raptis temerata altaria sacris:
Flumina dejectas si perrumpentia ripas
Evertere sata, & mediis nemora eruta in undis,
Et pecora, & domini, correptaque rura natarunt:
Obseditque inimica ipsas penuria terras:
Hæc eadem tamen, hæc ætas (quod fata negarunt
Antiquis) totum potuit sulcare carinis
Id pelagi, immensum quod circuit Amphitrite.
Nec visum satis, extremo ex Atlante repostos
Hesperidum penetrare sinus, Prassumque sub Arcto
Inspectare alia, præruptaque litora Rhapti,
Atque Arabo advehere, & Carmano ex æquore merces:
Auroræ sed itum in populos Titanidis usque est
Supra Indum, Gangemque supra, qua terminus olim
Catygare noti Orbis erat: superata Cyambe,
Et dites ebeno, & felices macere silvæ.
Denique & a nostro diversum gentibus Orbem,
Diversum cælo, & clarum majoribus astris
Remigio audaci attigimus, ducentibus & diis.
Vidimus & Vatem egregium, cui pulchra canenti
Parthenope, placidusque cavo Sebethus ab antro
Plauserunt, umbræque sacri manesque Maronis;

Qui

Qui magnos ſtellarum orbes cantavit, & hortos
Heſperidum, cælique omnes variabilis oras.
Te vero ut taceam, atque alios, quos fama futura
Poſt mutos cineres, quos & venientia ſecla
Antiquis conferre volent, at, BEMBE, tacendus
Inter dona deûm nobis data non erit umquam
Magnanimus LEO, quo Latium, quo maxima Roma
Attollit caput alta, paterque ex aggere Tybris
Aſſurgit, Romæque fremens gratatur ovanti.
Cujus ab auſpiciis jam nunc mala ſidera mundo
Ceſſere, & læto regnat jam Juppiter orbe,
Puraque pacatum diffundit lumina cælum.
Unus, qui ærumnas poſt tot, longoſque labores
Dulcia jam profugas revocavit ad otia Muſas,
Et leges Latio antiquas, rectumque piumque
Reſtituit: qui juſta animo jam concipit arma
Pro re Romana, pro religione deorum.
Unde etiam Euphrates, etiam late oſtia Nili,
Et tantum Euxini nomen tremit unda refuſi,
Atque Ægæa ſuos confugit Doris in Iſthmos.
  Ergo, alii dum tanta canent, dumque illius acta
Inclyta component, dum forte accingeris & tu
Condere, & æternis victurum intexere chartis,
Nos, quos fata vocant haud tanta ad munera, luſus
Inceptos, quantum tenuis fert Muſa, ſequamur.
  Principio, quoniam affecti non ſanguinis una
Eſt ratio, tibi ſit morbo ſpes major in illo,
Sanguine qui inſedit puro: verum, quibus atra
Bile tument, ſpiſſoque reſultant ſanguine venæ,
Major in iis labor eſt, peſtiſque tenacius hæret.

Qua-

Quare operæ pretium est validis atque acribus uti
Omnibus hos contra, miseris nec parcere membris.
Quinetiam meliora sibi promittere cuncta
Ille potest, qui principiis novisse sub ipsis
Serpentem tacite valuit per viscera labem.
Namque, ubi pasta diu, vires per pabula longa
Auxerit, & jam se vitium firmaverit intra,
Heu quanto tibi libertas speranda labore est!
Ergo omnem impendes operam te opponere parvis
Principiis, memorique animo hæc præcepta reconde.
In primis ego non omni te assuescere cælo
Exhorter: fuge, perpetuo quod flatur ab Austro,
Quod cæno, immundæque grave est sudore paludis.
Protenti potius campi mihi liber & agri
Tractus, & apricis placeant in collibus auræ,
Et molles Zephyri, pulsusque Aquilonibus aer.
Hic (jubeo) tibi nulla quies, nulla otia sunto.
Rumpe moras, agita assiduis venatibus apros
Impiger, assiduis agita venatibus ursos.
Nec tibi sit labor aerii cursu ardua montis
Anthus, Aquinatis paſtor gregis, Huc, puer, inquit,
Huc ades, o Neore, & te his adjunge choréis:
Aut, ſpectare magis ſi te juvat, aggere ab illo
Proſpice, dum ſaturæ ſua ducant otia capræ.
Cui ego: Quin potius juvet hoc de ceſpite veſtros
Spectantem luſus, molli requieſcere in herba.
Et tum forte deus buccas ſandyce rubentes
Inflans, & picea frontem præcinctus acuta,
Ad calamos circumſiliens, hæc carmina cantu
Fatidico inſanus latas fundebat ad auras:

Dicite Io, Satyriſci, & Io geminate, coloni;

Aurea

Aurea felici naſcuntur ſecula Mundo.
Excipiunt juvenes, iterat nemus, aſſonat Echo:
Aurea felici naſcuntur ſecula Mundo.
Tum ſequitur deus: Ante tamen Rex magnus Olympi
Bellumque, horribilemque famem, diramque flagellis
Armatam Alecto e tenebris, & faucibus Orci
Immittet terris, genus ut mortale coercens
Caſtiget, fraudeſque hominum, faſtuſque ſuperbos,
Et luxus, & ſpes miſeras, & gaudia vana:
Dum tandem ſe ſe, atque Deos cognoſcere diſcant.
Mox tantum exſpectatum illud, quod carmine ſacro
Tot vates cecinere pii, felicibus aſtris
Adveniet tempus, quo Mons ille arduus, ille
Mons ingens ſublime caput ſuper omnia tollat
Culmina, ſidereum qui vertice tangat Olympum:
Quo neque vis ventorum adeat, non fulminis ignes.
Dicite Io, Satyriſci, & Io geminate, coloni;
Aurea felici naſcuntur ſecula Mundo.
Hoc in Monte Dei pecudes paſcentur & agni,
Graminis æterni pingues, & velleris aurei.
Exſilient & aquæ vivæ, quibus ubera capræ
Grandia diſtendant, diſtendant ubera vaccæ.
Non malus hic ſerpens, non noxia creverit herba,
Non ſentes, ſteriliſve filix, non frigida taxus,
Sed bis lecta ſeges, ſed bis gravis uva racemis:
Corticibuſque cavæ ſudabunt balſama pinus.
Hinc magnis præſtantem animis, & fortibus auſis
Fortunata nimis Paſtorem hæc ſecula habebunt,
Qui virtute regat populos, & legibus æqui,
Divinas qui paſcat oves, & paſcua late

Ex-

Extendat, pecudesque ipsas, & ovilia servet.
Hic primum diram Alecto, & Cocytia monstra
Caucasea ærata religabit rupe catena.
Inde famem miseram e Latio populisque Deorum
Pellet in hostiles gentes, & barbara regna.
Tum læta Ubertas, segetumque onerata maniplis
Alma Ceres Italas spicis venerabitur aras:
Quam circum pueri salient, & rustica pubes,
Ridentesque jocos, incomtaque carmina dicent.
At noti Musis Damones & Alphesibœi
Vota Patri magno, laudesque & sacra canentes
Æternis illum numeris ad sidera tollent,
Heroemque, deumque, salutiferumque vocabunt.
  Dicite Io, Satyrisci, & Io geminate, coloni;
  Aurea felici nascuntur secula Mundo.
Ille animum mox ad pacem, & discordia regum
Pectora convertet, sanctisque hortatibus iras,
Atque odia, & cæcos regnorum & laudis amores,
Horrendamque sitim cædis, fusique cruoris
Sedabit, pelletque feri mala semina belli.
Tum Pax alma ferens ramos felicis olivæ,
Atque Amor, & junctis pariter Concordia dextris,
Et Genius comitum, & generis Hymenæus amator
Invisent late populos, Latiique per arva
Lætitiam, risusque ferent: tum justa cupido
Bellorum, piaque arma, Dei vertentur in hostes.
Jam video augustis late plena æquora velis
Fervere, jam trepidare vagi septem ostia Nili,
Euphratemque, Tigrimque suo se condere in amne.
Jam nec Bactra ipsum capiunt, non India tota

Mau-

Maumethen fugientem, ipſum non Caucaſus ingens,
Non qui tot ſilvas, juga tot comprendit Imaus.
  Dicite Io, Satyriſci, & Io geminate, coloni;
  Aurea felici naſcuntur ſecula Mundo.
Quæ nam, quæ properant tantæ per cærula puppes
Devotæ ad Tiberim, magnæque ad mœnia Romæ,
Ceu denſæ ad nidos latum per inane columbæ?
Agnoſco gentem innocuam, numerumque beatum,
Felices animas, fatis ab origine prima
Dilectas, quæ cælo olim, Diviſque fruantur.
En jam ſanctam Urbem, jam ſeptem in collibus aras
Impoſitas, ſummique pedes Paſtoris adorant.
Hos inter, video, & noſtri longa æquora ſulcant
Arcades, Italiamque petunt, fataliaque arva
Arcades. o ſoli quondam cantare periti
Paſtores, quos Juſtitia e tellure recedens
Poſtremos liquit, nunc rurſus læta reviſit.
O ſancti, properate; vocat Deus æthere ab alto:
Vos alius jam grex, aliudque exſpectat ovile.
Quin venit illa dies, quum nos quoque Mænala noſtra,
Arcadiamque omnem, qua immani a gente repulſi
Fugimus in Latium, longo poſt tempore tandem
Viſamus, dulcemque auram. o placidiſſime Peneu,
O Ladon, vos o gelidi pineta Lycæi,
Quando ego per veſtros meditabor carmina lucos?
Mænalios quando recinet mea tibia verſus?
Mænalus auritas, danteſque oracula quercus
Semper habet, ſemper doctas ille audit avenas.
Concipe Mænalios, mea tibia, concipe verſus.
  Talia cantabat memorans Pan magnus: at Anthus

Hæc referes, puer, inquit, & hoc tibi munus habeto
Nunc parvum: ventura dies majora reservat.
Tum mihi fiscellam dono dedit optimus Anthus,
Dicere & occasus astrorum, dicere & ortus,
Et quid quæque ferat tellus, quæ commoda Baccho,
Quæ Cereri, quidnam ventos, quid nuntiet imbres,
Quæ tempestatum, cæli quæ signa sereni:
Denique quæ cunctis natura sit indita rebus.
Virtutem in primis & honestum, quemque docere,
Ac vitii ipse expers, aliena notare paratus.
Et jam tempus erat pastum deducere capras.

XIII.

INCIDENS.

BATTUS amor Dryadum defunctum pastor IOLAM
Flebat. eum Fontes, Alpinaque numina circum,
Sarcaque, pumiceoque sedens Benacus ab antro
Mœrentem lacrimis consolabantur obortis:
Ille autem nulla accipiens solamina, tantum
Deserta sub rupe, in litoribus Benaci,
Talia nequicquam surdas jactabat ad undas.
Immites divi, & crudeles vos quoque Parcæ,
Crudeles nimium Parcæ: vos ibitis amnes,
Aeriæ stabunt rupes: numquam amplius ipse
His terris, numquam hoc cælo agnoscetur IOLAS
Ut cecidit? semel in pratis ut purpureus flos,
Quem tetigit vel hiems, vel iniquo Seirius astro.
Currite jam, fluviorum undæ, & producite vitam,
Et, rupes, durate: tamen non alter IOLAS
Hos pecus in montes, non hæc ad flumina ducet.

XIV.

XIV.

I N C I D E N S

AD JOANNEM BAPTISTAM TURRIANUM,

V E R O N E N S E M.

ILLA colum exercens ſaxo conſedit aprico,
Læta tepore novo, & liquefacta Sole pruina:
At juxta nemore in magno grex paſcitur omnis.

XV.

H I E M S.

A D E U M D E M.

FRIGIDUS at ſilvis Aquilo ſi increverit, aut ſi
Hiberni pluviis deſcendent nubibus imbres,
Nos habeat domus, & multo lar luceat igne.
Upilio ingentem aut fagum, vel ſciſſile robur
Sufficiat, tum vos, claro quando igne ſoletis,
Juniperi, ſuaves circum diffundere odores,
Et vos, Palladiæ, flammis imponat, olivæ.
Ante focum tibi parvus erit, qui ludat, IULUS,
Blanditias ferat, & nondum conſtantia verba.
Ipſe legam magni tecum monumenta Maronis.
O fortunatos nimium, ſi fata, quod ævi
Nos manet, hanc una dederint producere vitam!



XVI.

VER.

AD EUMDEM.

JAm veniet Ver purpureum, juveniſque revertens
Annus aget Zephyros, & cælo deſuper alto
Deducet pleno genitalia ſemina cornu:
Unde hominum genus, & pecudum, vitæque natantum,
Et pictæ volucres, & amantes roſcida plantæ
In Venerem cæco æterni rapiuntur amore.
Gaudete, o quicumque bonum ſperatis, agreſtes,
Quorum amor eſt ſobolis, ſtudiumque nepotibus arva
Incolere, & parvas ulmis attollere vites:
Annus io, novus annus adeſt: mutatur & ætas,
Et meliora novo naſcuntur ſecula Mundo.
Bella pater procul, & diras Saturnus Erinnes
Arcebit caro e Latio, ac ſub Tartara mittet.
Tum Letum, & cæcus Furor, & veſana Cupido
Perpetuis extra terras religata catenis
Perſolvent pœnas ſcelerum: at Pax alta per omnem
Italiam magno populos ſub Cæſare viſet.
Ille autem inſignis ſpoliis, & mille trophæis
Inſtituet feſtos alta ad Capitolia ludos.
Stabit onuſta ingens, Tarpeji ad limina templi
Quercus honore ſacra, & prænuntia temporis aurei.
Tum veſcæ glandes: tum terra ſponte ferente
Omnia, comparibus disjunget colla juvencis
Agricola, & rudibus mirabitur hordea ſulcis
Sponte adolere ſua, & nullo frumenta colono
Undantem lætis ſegetem flaveſcere campis.

No-

Noctibus in ſilvas & mollia prata ſerenis
Ætherio dulcem commixtum nectare rorem
Sudabit cælum: tenera qui lectus ab herba
Mortales ſaturet menſa dapibuſque deorum.
Salve, magne Tybri, & vos, natæ Tybride Nymphæ,
Tuque, ſenex pater Eridane, &, qui flumine Tuſco,
Benace, in noſtro placidus perlaberis agro.
Tuque, Atheſis, cunctique amnes ſalvete Latini,
Diique omnes magnæ Heſperiæ, qui ſecula ſoli
Aurea Saturni primo meminiſtis ab ævo:
Quum ſepes vel limes adhuc communibus agris
Non foret, aut ulli variarent jugera ſulci;
Sponte ſua ſed terra ferax daret omnia, & ipſæ
Præberent dulci victum de robore glandes.

XVII.
INCIDENS AD EUMDEM.

QUARUM pars brumæ impatiens, & condita terræ
Exſpectat ver egelidum, flatuſque Favonii:
Pars paſſura hiemem, læta ab radice vireſcit,
Emittitque comam, ſiculumque atque altera beta,
Atque ari virides, & odoriferæ calaminthæ,
Atque olus, atque rumex, & ſalſi gramina crithmi.
Quas inter ſuaves molleſque aſpirat odores
Nunc decus hortorum, menta: at, ſi vera loquuntur,
Nympharum quondam pulcherrima Grajugenarum.
Tum juvat & frondes apii, & ſiſymbria læta,
Intubaque, & toto florentes frigore ſonchos
Incolere, atque hortis Aquilonem arcere nocentem.

XVIII.

ALIUD.

NOx venit, & paſtæ redeunt ad tecta capellæ.
Præ caper it, cui barba jubat, cui cornua pendent
Intorta, & grandes olido de corpore ſetæ.
Pone gregem reliquum compellit arundine virgo
Upilio, multo armantur cui baltea fuſo.
At mater longæva, igni dum braſſica fervet,
Mulctra effert, gravidoque recens lac ubere mulget.
Ruſticus interea pinguis collector olivæ,
Interea & validus prima de nocte bubulcus
Advenere domum: congeſta tum focus orno
Ingenti, aut fago, vel fragmine roboris, ardet.
Tolluntur lætæ flammæ, lateque relucent.

XIX.

ALIUD INCIDENS AD EUMDEM.

AT nemora, & liquidis manantia fontibus arva,
Et placidus myrteta inter, lauroſque virentes
Vicinus nitido Benacus labitur amne.
At focus, & circum pueri, vernæque canentes,
Dum cœna undanti coquitur ſilveſtris aheno,
Grandiaque exurunt crepitantes robora flammæ,
Suſpenſæ e ſummis pendent laquearibus uvæ,
Malaque, caſtaneæque, & paſſo fiſtula ventre.
Hiberna de nocte, boum ſtabula alta petuntur.
Una omnes matreſque, virique, omniſque juventus
Inſomnem exercent noctem: pars penſa fatigat:
Pars texit teneros Amerino vimine qualos:

Atque

Atque anus hic aliqua interea, dum vellera carpit,
Et teretem tremulo propellit pollice fusum,
Languentes oculos fabella fallit inani.

XX.

ALIUD.

Mane domi validos pluvia ut conclusit agrestes,
Cæditur iliceo distenta sagimine porca.
Læta domus. tum sollicita in farcimine mater
Pingue suis niveum, & dissecti frusta cerébri,
Et niveum lac purpureo cum sanguine miscet.
Tum semen marathri, atque arentis gramina thymbræ
Adjicit, & coli insperso sale concava complet.

XXI.

IN NATALEM DIEM

JANI FREGOSII, CÆSARIS F.

Sacrorum si plena Deo sunt pectora vatum,
Si norunt triplices fata futura deæ:
Fortunate Infans, verus tibi gloria vates,
Grandia concordes concinuere deæ.
Ecce tuo felix nasci novus annus ab ortu
Incipit, atque omen nomine habere tuo.
Cresce cito, magnique Patris mirarier acta
Incipe, & invicti Cæsaris arma sequi.
Tempus erit, tibi quum partis jam mille trophæis,
Et fessi rebus compositis Latii,
Barbaricis captis opibus, Ducibusque subactis
Multa tibi circum tempora laurus eat.

Tum

Tum læta ante tuum ſtabit Victoria templum,
Claudet & ærata limina ahena ſera.

XXII.

DE PARTU

VICTORIÆ FARNESIÆ

GUIDI UBALDI FERETRII, URBINI DUCIS CONJUGIS.

LUCINÆ Junonis opem VICTORIA ſupplex
Quum peteret, placido ſic ait ore dea:
Sis licet Æneadum & Veneris de ſanguine avito
Nata, Puella, tamen digna favore meo es.
Quam Charites tanto junctæ comitantur honore,
Grandia quam Parcæ fata manere canunt.
Quippe ubi Junonis flos & Saturnia quercus
Jungantur, fauſtis currere Iſauron aquis,
Promittique tibi ſobolem, qua priſtina virtus
Italiæ, & priſcus reſtituatur honos.
Naſcere, magne Puer, Patremque imitatus Avoſque,
Magna aude. non vos Umbria magna capit.
Et jam Infans ſanctaſque manus, divamque ſecutus
Optati in lumen ætheris exierat.
Ergo, quod potuit, riſu agnovitque Parentem,
Præſentiſque dedit nuntia ſigna deæ.

XXIII.

TUMULUS FRANCISCI MARIÆ MOLSÆ

MUTINENSIS.

QUOD MOLSÆ fuerat mortale, hac conditur urna,
Exſtruxere ſuis quam Aonides manibus.

Cœti-

Cœtibus at Superûm fruitur nitidiſſimus almis,
Itque comes magno ſpiritus Hippolyto,
Quem Medica de gente ſatum pulcherrima Virtus
Extulit, & cæli templa tenere dedit.
Quemque unum ante omnes coluit dum fata ſinebant,
Atque oculis Vates prætulit ipſe ſuis.

XXIV.

AD JOANNEM LIPOMANUM,

EX VERONENSI PRÆTURA DECEDENTEM.

Hadriacum, Lipomane, Atheſis dum curret in æquor,
Dum meritis reddetur honos & gratia, ſemper
Prætori tibi debebit Verona, patrique
Linquenti monumenta annos manſura per omnes.
Illa tibi ſemper divinos ſolvet honores,
Et condet tua perpetuis annalibus acta.
I, ſpes o Venetûm, & quem jam moderamina parva
Non capiunt, i, te majoribus inſere ſceptris:
Et lacrimas, & vota, quibus comitamur euntem,
Accipe, diſceſſuſque tui dona ultima porta.

XXV.

IN MORTEM

JOANNIS BAPTISTÆ MONTANI,

MEDICI VERONENSIS.

Dum medica, Montane, doces ope vincere fata,
Et Lacheſi invita vivere poſſe diu,
Lethæo indignans preſſit te Parca ſopore,
Et ſecuit vitæ grandia fila tuæ.

Sic, animas & tu, Aſclepi, dum ſubtrahis Orco,
Te quoque ſævorum perdidit ira deûm.

XXVI.
AD JOANNEM MATTHÆUM GIBERTUM,
EPISCOPUM VERONENSEM.

MELSINEÆ rupes, ſubjectaque litora Tuſci,
Quæ ſuprema ſonans alluis unda lacus,
Annuite: agreſtem dum, votum pauperis, aram
E vivo Thyrſis ceſpite tollit humo.
Nunc herba ſtruit, atque hederis & floribus ornat:
Et, GIBERTE, tibi ruſtica ſacra facit:
Aſt olim auratam niveus tibi taurus ad aram
Cornibus auratis victima magna cadet.

XXVII.
AD EUMDEM.

NAJADES hoc, GIBERTE, tibi Benacides antrum,
Et qui muſcoſo fons cadit e lapide,
Sacravere. tibi ſit cura & fontis & antri:
Et quandoque deus ad tua ſacra veni.
Et ſacer eſt, & habet ſpirantes ſuaviter auras
Hortus: & eſt nullo gratior umbra loco:
Et nuſquam eſt longæva mage, & felicior arbos,
Pulcher Adoni, tua; pulcher Apollo, tua.
Hic canere, & tenuem poſſe exercere Camœnam
Ille dedit: ſanctus qui mihi ſemper erit.
Hic herbas, ſuccoſque tuos, artemque relinquo,
Phœbe: ſoles Muſas tu quoque amare magis.

XXVIII.

AD EUMDEM.

Ipsa tibi, Giberte deus, lego lychnida Leuce
  Melſineis Leuce cognita litoribus.
Et pulchram cyanum, & canentia lilia necto:
  Illa colore magis, hæc & odore placent.
Roma caput ſacro decoret tibi magna galero:
  Non tamen & Leuce, non ſua ſerta dabit.

XXIX.

AD EUMDEM.

Et laurum, & citrum hanc teneram de matre revulſam
  Giberto ſacram Thyrſis utramque ſerit.
Hanc, Venus, aſt illam Juveni ſervabis, Apollo,
  Ne noceant æſtus, ne noceatve gelu.
Tu quoque Benaci vicino, Nais, ab amne
  Clam gelidas teneris frondibus affer aquas:
Dumque feres, dic: Sancte, humili tibi nunc dea rivo,
  Quum venies, toto ſerviet amne tibi.

XXX.

DE MARSANGO FLUVIOLO,

PROPE VILLAM

JOANNIS BAPTISTÆ RHAMNUSII,


In Agro Patavino.

Qui te populea cingit, Marsange, corona,
  Dulce ut in umbroſis cornibus aura ſonet:
Ac ne umquam inficiat lutulenti ſordida plauſtri
  Te rota, ſub firmo dat tibi ponte viam,

Vicinæ cultor villæ, RHAMNUSIUS, horti,
 Agrique, & dominus ripæ utriusque rogat;
Lenis vere flue, atque nivali providus undæ
 Arida in æstivi sidera parce Canis.
Sic tibi grata Nape geminabit serta quotannis,
 Et tua par magnis amnibus ibit aqua.

XXXI.
DE EODEM.

QUI modo fons, MARSANGE, humilis, modo cornibus ingens
 Per salicum rapido laberis amne nemus.
Vere novo, MARSANGE, mihi flue lenior undis;
 Uberior, sitiens quum coquit arva Canis.
Frigentes æstate tibi RHAMNUSIUS umbras
 Sparget, & ad gelidas ipse sedebit aquas.
Vere rosam violasque feret: pictasque corollas
 Pulchra tibi hinc Nais, hinc Galatea dabit.



Quæ

Quæ ſequuntur, ſumta ſunt de Libris quos FRACASTORIUS ſoluta oratione conſcripſit.

In calce Homocentricorum.

Sed jam me rapidi diverſa volumina cæli
Dimenſum ſatis, & numquam requieta ſecutum
Sidera, per varios curſus varioſque recurſus,
Hac juvet inſudaſſe tenus: nunc ultima feſſum
Accipiat, finemque meo det meta labori.
Vos æterni orbes, æternique ætheris ignes,
Qui tacito circum labentes tempora curſu
Ducitis, & longum per ſecula volvitis ævum,
Si non æternum (neque enim fas poſcere tantum)
At ſaltem durare diu, & producere vitam
Hoc concedite opus, videant ut veſtra nepotes
Secula, & æternis vos admirentur ab annis.
Mirenturque vias, quum jam non tramite ſueto
Curret iter ſolitum Titan, ſed purpureum ver
Et juvenem ſignis converſis invehet annum.
Tuque etiam, ſeu te tua tanta inventa, novoſque
Admirantem orbes, puro fulgentia cælo
Templa tenent, ſeu Threiciæ teſtudinis audens
Tangere ebur plectris, numeros & carmina dictas,
Qua via ſidereo candeſcit lactea cælo,
TURRI, ades, inventiſque tuis, noſtroque labori
Da, ſancte, augurium, atque optatis annue noſtris.

Poſtre-

Postremo Capite Libri Primi de Contagione, & Contagiosis Morbis.

Sæpe exiguus mus
Augurium tibi triste dabit, tellure sub ima
Quem non ullus amor tenuit, sed in aera apertum
Erupit scrobibus, vitæque, atque immemor usus,
Et parvos natos, & dulcia tecta reliquit.
Ipsa etiam tellus, ceu non ignara futuri,
Quum tremit, atque intus gravida suspirat ab alvo,
Signa dabit: tremuere urbes, & vertice toto
Formidavit Athos, timuitque sub æquore Nereus.

Capite Septimo Libri Tertii de iisdem.

Proderit & latos stipularum incendere campos,
Et nemora intacta, & sanctos exurere lucos.

Dialogo de Poetica.

Huc ades, o Thelayra: quid ah quid grandia farra
Æstivo sub Sole teris, medioque sub æstu,
Nec parcis tibi, sæva? ah te ne immitis adurat
Seirius: ah teneras ne rumpat pustula palmas.
Demens, o Thelayra, patri concede laborem,
Cui Cereris cura est: melior te cura Diones
Sollicitet. tu, dum fervet tritura sub æstu,
Dum crepitat seges, & multo sonat area pulsu,
Clam te operi furare, & aquas effinge ferendas.
Hic nitidus fons est: hic plurima populus umbram
Sufficit, & gelidæ summittit frigora ripæ.
Vos auræ, Alpinis placidæ de montibus auræ,

Hæc

Hæc illi portate: aut, ſi pater obſtat eunti,
Saltem æſtum lenite, gravem lenite laborem.

Libro Primo de Intellectione.

Natalem, Thelayra, tuum lux craſtina reddet.
Craſtina lux mihi ſancta. tuos age, Lucifer, ortus
Profer, & Auroram propero dux evehe curru:
Evehe, ſed ſero tardus cede, Heſpere, cælo,
Longa ut eat, felixque dies. lege lychnida, Leuce,
Et viridem violis intexito amaracon albis.
Serta duo mihi necte: unum, quod poſtibus ipſe
Appendam, Thelayra, tuis, mea maxima dona
Nota tibi: aſt aliud, quod feſta luce laborum
Immunes decoret plena ad præſepia tauros.
Tu vulgo Venerique palam formoſa videnda
Comtaque, ſed clam pulchra tuo, ſed comta Myconi
Incedes, tacitiſque deam venerabere votis,
Ut mea tu, tuus ipſe ut ſim: dea maxima votis
Annuet. at tu omnem, Thelayra, abrumpe pudorem
Tum, quum exſpectatum difflabit tibia cantum,
Ardenteſque ſono in choreas accendet amantes.
Tum dextram lævamque manus jungamus amicas,
Invideantque omnes; neque enim te doctior uſquam
Ulla ſalit, non ipſa Iole, non nata Lycotæ.
Me vero quales in cælum tollere ſaltus
Aſpicies, Thelayra! modo & te flectere in orbem,
Et modo te contra ſtantem mira arte movere
Ante retroque pedes, ſpatio nec cedere ab uno!
Ipſa Venus cælo ridens ſpectabit ab alto.

Eo-

Eodem Libro Primo de Intellectione.

Ollis divina ſuper mens
Aſtat, magna, micans: cujus radiata nitore,
Quæ fuerant obſcura prius ſimulacra, repente
Fiunt coram anima, claraque in luce refulgent.
Non aliter quam quæ cæca ſub nocte tenentur,
Si feriat rutilum Solis jubar, omnia late
Splendeſcunt, pulchraque petunt in luce videri.

In calce ejuſdem Libri.

Lyncas nec acres advehe, neu gere
Thyrſos, venuſtum nec tege caſſide
Horrente vultum, ſed tenero veni
Cinctus tempora pampino:
Tuiſque mitis & placidus ſacris
Adeſto, qualem te memorant, jugo
Bactris ſubactis, in medio deûm
Convivam Jove cum patre
Sediſſe, circum diis reſonantibus
Evoe: pharetra quum poſita tuas
Laudes eburna grandiloquus lyra
Latona cecinit ſatus.
Ereptus igne ut fulmineo Jovis
Bis natus infans duceris ad deos,
At tibi magnis plauſibus omnium ad-
riſit cælicolûm cohors.
Namque ore pulchro talis erat color,
Rubente qualis enitet in roſa.

Tum

Tum prominebat exſilientibus
Sacrum corniculis caput.
Tyrrhenus ut te navita deprecans
Sero, furoris, numinis & tui
Expertus iras, ſquammeus in mare
Piſcis deſiliit rate.
Senſit Lycurgus vitibus impiam
Auſus ſecurim immittere: ſenſit &
Cohors Gigantum trudere tum rata
Alto Cælicolas polo.
Tu Gange victo miles ab ultimis
Indis triumphos victor io refers:
Et redeunti Suſa & Achæmenes
Aras conſtituunt tibi.
Fremunt in altis orgia montibus
Euoë: ſolutæ per juga Thyades
Crines in auras, rauciſonis replent
Altum cornibus æthera.

Libro Secundo de Intellectione.

Carpe fugam, Galatea; ferus petit æquora Cyclops:
Carpe fugam, pelagoque procul ſpeculator ab alto,
Te quis amat, dignumque tuo ſe cenſet amore.
Humano primum rorantem ſanguine barbam,
Et fœdum os, oculumque unum, quem fronte patentem
Ipſe gerit media, multo lavere æquore cernes.
Pectere dein raſtro crines, apioque virenti
Aſſimiles, laudare: ſilens tum conſulere æquor,
Et ſe ſpectatis formoſum dicere ab undis.

Te vero, Galatea, quod hunc contemnis amantem,
Nec pecoris numerum, nec avenæ ſibila curas,
Crudelem, & piſtri natam Scyllaque vocare:
Crudeleſque deos: ſi dii tamen æthere in alto
Vel mare ſunt aliqui; neque enim ſe poſſe putare
Ullos eſſe deos. demum tibi dira minari.
Nam fore, ut ictu uno magno cum fragmine montis
Teque tuumque Acim medium diſperdat in æquor.
At tu tuta mari magno, Cyclopis amores
Deſpiciens, ridenſque minas, & inania verba,
In noſtros, Galatea, ſinus, formoſa, recurre.
Ille inter pecudes & amore uratur, & Ætna.

Eodem Libro.

Telamonius Ajax
Arma rapit, ſuperoſque furens in prœlia poſcit,
Jamque hominum hos nunc inſequitur, nunc percutit illos
At tacitus mœrenſque hominum conſortia vitans
Bellerophon ſolos errat male ſanus in agros:
Bellerophon, quem Martis honos, quem gloria curruum
Per deſerta fugit, nec amor comitatur equorum.

Dialogo de Anima, non procul ab initio.

Ne timeas, Trojane Puer, quod in ardua tantum
Tolleris a terra: quod roſtro, atque unguibus uncis
Te complexa ferox volucris per inania portat.
Audiſtine umquam ſublimis nomen Olympi?
Audiſtine Jovis tonitru, qui fulmina torquet,

Qui

Qui pluit in terras, cui templa araſque dicatis
Vos homines, tauroſque tua mactatis in Ida,
Quique etiam veſtri eſt, ſi neſcis, ſanguinis auctor?
Ille ego ſum. non te hæc volucris, ſed Juppiter eſt, qui
Haud præda captus, cari ſed amore Nepotis
In ſummum amplexu innocuo te portat Olympum:
Aſtra ubi tot ſpectare ſoles, ubi pulcher obit Sol
Ortuſque occaſuſque ſuos, ubi candida noctes
Currit Luna nitens, Auroram Lucifer anteit.
Hic ego te in numero ſuperûm, domibuſque deorum,
Ver ubi perpetuum, felix ubi degitur ætas,
Æterna & ſemper viridis florenſque juventa,
Conſiſtam: æqualemque annis pubentibus Heben
Officioque dabo comitem, qui pocula nobis
Læta miniſtretis. reliquum cæleſtibus una
Aſtragalis choreiſque diem exercere licebit.
Pone metum, dilecte Jovi, melioraque longe
Proſpiciens, caram, Puer, obliviſcere Trojam:
Neve deum te jam, & divorum regna petentem
Ulla canum, aut Idæ nemoroſæ cura ſequatur.

Eodem Dialogo.

P S Y C H E.

Huc, Amor o dilecte, ades, o dilecte Cupido:
Formoſum tua te Pſyche formoſa requirit,
Et poſcit te dia deum, puerumque puella.
O tibi tam ſimilis ſi te peramatque, cupitque,
Nonne & amabis Amor illam, cupieſque Cupido?

Eſt eadem nobis patria: eſt cæleſtis origo
Ab Jove: nos terris pariter, nos æthere in alto
Verſamur pariter, conjunctaque munera obimus.
Ipſa bonum pulchrumque modis in pectora miris
Inſinuo, tu corda feris, tu ſuggeris ignes,
Accendiſque ardore novo: genus unde animantum
Concipitur, creſcitque, ſua & connubia jungit.
  Me miſeram, quod & ipſa meis in me artibus uſa
Ah nimium tenera, & pulchro nimis apta moveri,
Ut te conſpexi, ut novi, pulcherrime rerum,
Continuo facibuſque tuis, & Amoris amore
Exarſi. juvat hoc, paribus ſi & tu ignibus ardes.
Tolle, Puer, vittas, atque in me lumina ſolve,
Nempe & amabis Amor pulchram, cupieſque Cupido.
Ipſa tibi tenuem, qua cingas tempora, vittam
Intertextam auro, & molli bombyce laboro:
Pictus ubi Narciſſus hiat, Mæander oberrat.
Hic ego te latas terras, atque alta volatu
Nubila tranantem fingo, & maria uda ſecantem:
Cuncta tibi imperio ſubdentem, homineſque, feraſque,
Et pictas volucres, &, quæ nant æquore, monſtra.
Diis quoque nec parcis; curru rex Juppiter aureo
Invehitur, cinctus humeros & brachia ferro.
Quos inter tua Pſyche etiam religata catenis
It mœrens, ſequiturque tuos captiva triumphos.




Vetus

Vetus Epigramma, in calce Sententiæ de Vini temperatura.


Infantem Nymphæ Bacchum, quo tempore ab igne
  Prodiit, inventum ſub cinere abluerant.
Ex illo Nymphis cum Baccho gratia multa eſt,
  Sejunctus quod ſit ignis, & urat adhuc.

CARMINUM HIERONYMI FRACASTORII QUÆ IN PRIORE NOSTRA EDITIONE CONTINENTUR



OLIM

OLIM PARVUS ERAM, VIXQUE ULLI COGNITUS AMNIS:
IT MEA NUNC TUMIDO LYMPHA SUPERBA PEDE.



ARGUTOS ETENIM PAVI NAUCELUS OLORES,
QUI SE, MEQUE SUO CARMINE IN ASTRA FERANT.

CARMINA
HIERONYMI
FRACASTORII

post I. Comini Editionem inventa,
& nunc ceteris addita.



HIERONYMI FRACASTORII

Carmen Lyricum quod nunc demum integrum editur

Ex Codice MS. Tarvisii exstante apud JOSEPHUM BONONIUM, *Patricium Tarvisinum; ex cujus familia fuit Hieronymus Bononius, poeta celebris initio sæculi XVI. cujus quædam edita, at plura adhuc inedita supersunt carmina, præcipue in Codice MS. chartaceo locupletissimæ Bibliothecæ hujus Seminarii Patavini, qui codex olim fuit Alphonsi Comitis de Alvarotis, Patricii Patavini, optimarum literarum studiosissimi, & rariorum librorum sagacissimi* θηρατοῦ; *qui omnes coemti, & in eamdem Bibliothecam illati fuere.*

BACCHO CONCILIATORI.



MERO madentes largo, & edacibus
Curis soluti, dum tibi candidam
Lucem, deorum, ducimus, optime
Bacche, seu Dionysius
Mavis vocari, seu magis Evius,
Seu tu Lyæus, seu Bromius magis,
Liberve, Iacchusve, aut Semele satus,
Et magni soboles Jovis;

Hanc Oden omnibus suis numeris & partibus absolutam primi tandem exhibemus, addita strophe ex codice MS. quæ Celeberrimi etiam Viri SCIPIONIS MAPHÆI diligentiam effugerat. In editione priore nostra Poematum FRACASTORII (quam hæc recentior exprimit) mutilam protuleramus, initio ac fine carentem, secuti videlicet antiquiorum editionum auctoritatem, quæ hoc fragmentum carminis in FRACASTORII lib. I. de Intellectione ita posuerant, ut id can-

Adſis Baſſareu, lætitiæ dator,
Adſis; furentes aſt age Mænadas
In juga crebris Indica tympanis
Reſona, atque ululatibus.
Lyncas nec acres advehe, neu gere
Thyrſos, venuſtum nec tege caſſide
Horrente vultum, ſed tenero veni
Cinctus cornua pampino:
Tuiſque mitis & placidus ſacris
Adeſto, qualem te memorant, jugo
Bactris ſubactis, in medio deûm
Convivam Jove cum patre
Sediſſe, circum diis reſonantibus
Evoë: pharetra cum poſita tuas
Laudes eburna grandiloquus lyra
Latona cecinit ſatus.
Ereptus igne ut fulmineo Jovis
Bis natus infans duceris ad deos,
At tibi magnis plauſibus *omnium ad-*
riſit cælicolûm cohors.
Namque ore pulchro talis erat color,
Nitente qualis emicat in roſa.
Et prominebat exſilientibus
Sacrum corniculis caput.
Tyrrhenus ut te Navita deprecans
Sero, furoris, numinis & tui

Ex-

cantari ad citharam juſſit auctor ipſe, vel certe ſe juſſiſſe finxit; ut in Dialogis ſolet. Quod igitur adhuc apparuit decurtata, nemini verti vitio debet: quod perfecta in manus hominum venit longo poſt tempore, felicitati cuidam tribuendum.

Expertus iras, ſquammeus in mare
Piſcis deſiliit rate.
Tu (1) pertinacem, (2) Penthee, concitas
Matrem furentem. quo fugis ah miſer?
Te Mater aprum, te Autonoë putans
Sæva dilaniat manu.
Senſit Lycurgus vitibus impiam
Auſus bipennem immittere: ſenſit &
Cohors Gigantum trudere jam rata
Alto Cælicolas polo.
Tu Gange victo miles ab ultimis
Indis triumphos victor io refers,
Et redeunti Suſa & Achæmenes
Aras conſtituit tibi.
Fremunt (3) in altis orgia montibus
Evoë: ſolutæ per juga Thyades
Crines in auras, rauciſonis replent
Altum cornibus æthera.
Salve, repertor magne meri pater,
Menteſque noſtras concilia, & procul
Iras, & arma, & bella age in impios,
Carenteſque mero Scythas.

(1) Hæc ſtrophe deeſt in editis; & MSS. a Cl. Maphæo memoratis.
(2) *Pentheu* dicendum erat; quam vocem tamen hoc loco genus carminis non recipiebat.
(3) Hæc ex editis adjecta fuit.



Ex folio quodam, ut ajunt, edito Venetiis per Pinellum, curante Dominico Molino Senatore; quod paucis ab hinc annis nobis donavit vir nobilis Æmilius de Æmiliis Veronensis, Eques Hierosolymitanus.

IN FUGAM CAROLI V. IMPERATORIS.

TE'NE igitur terrorem orbis, te, maxime Cæsar,
Victorem late, regnatoremque superbum,
Conversa nunc fortuna, Germania vidit
Præcipiti dare terga fuga sub nocte silenti?
Atque adeo non Turca ferox, non Persa secutus,
Te pepulit. vix hostis erat, quem dicere posses
Armatum contra justo contendere bello:
Tu tamen inclinato animo, trepidusque futuri,
Hostilis fama adventus, & nomine solo,
Diffugis, (1) obscura tectus caligine noctis;
Cui comes it frater pavitans, geminatque pudorem,
Romani Imperii, atque Augusti nominis heres.
Deseritur longo tellus pacata labore,
Totque haustis opibus regnorum, ac sanguine fuso,
Spe nulla (2) redeundi in te te armisque relicta.
Scilicet hoc, Cæsar, tua vasta ac dira cupido
Dedecus, hanc peperit mansuram in secula labem:
Dum modus optandi nullus, dum quidquid ubique est
Spe (3) capis, atque auctis semper cupis addere rebus.
Præsidium, quo te in primis, ac parta tueri
Debueras, Italæ misisti ad mœnia Parmæ,
Urbis nec meritæ tot duri incendia belli;
Ut generi & natæ spoliis (4) poterere cruentis.
Hoc tibi pro tali facto pia numina reddunt.

Ver-

(1) In editis *Laberis* (2) Versus additus ex Epistola MS. Italica Jacobi Valvasonii, ab eruditissimo, & Nobili Juvene JACOBO MARCHI nobiscum perbenigne communicata. (3) MS. *rapis*.
(4) Ita legi debet; non, ut in editis & MSS. *potiare*.

Verſus primum vulgati a Cl. Viro SCIPIONE MAPHÆO *Patricio Veronenſi P. II. lib. 4. libri eruditiſſimi qui inſcribitur:* Verona Illuſtrata, *ed. in 8. pag. 346. & ſeq.*

HÆC Juvenis, magnæ Italiæ ſpes magna, docebat
Turrenſis, dum florenti Ticinidis urbis
Gymnaſio fama ſummo ſe ſe æquat Olympo.
Ipſe artes illi medicas formoſus Apollo
Ceſſerat, ipſe illi numeros, pulchramque juventam,
Quo foret exemplar ſtudiorum præcipuum, & ſpes.
Nondum illi ſex luſtra ierant, florentibus annis,
Quum decus hoc Latio invidit Mors impia, & illum
Abſtulit, extrema poſitum Benacide ripa,
Quam media inter ſaxa ſonans Sarca alluit unda.
Illum * Alpes vicinæ, illum cava flumina flerunt,
Patrius illum Atheſis, nec non, Grajæ, atque Latinæ,
Cum veſtro miſerum fleviſtis Apolline, Nymphæ.

Proprius hic locus eſſet Fracaſtoriani Fragmenti de Theriaca; quod tamen conſule pag. 65. inter Italicas Epiſtolas Auctoris; & auctius, & Elegiacis verſibus inter alia Fragmenta hic a nobis primo publici juris factum pag. 36. 37.

Quod ſequitur Carmen, exſtat Foricornelii adhuc ineditum apud Vir. Cl. FRANCISCUM MARIAM MANCURTUM, *Canonicum; in calce Vitarum Summor. Pontif. a Platina ſcriptarum, & Venetiis editar. an. 1504. in fol.*

AD M. ANTONIUM FLAMINIUM

GRATIARUM ACTIO.

QUAS tibi reddemus grates, dulciſſime vatum,
Quod nos tam claro fueris dignatus honore,
Nomen uti noſtrum dignis Jove prodere chartis
Velles, ſuavis amicitiæ noſtræ monimentum

Egre-

* Vide verſ. 409. Lib. 1. Syphilidis.

Egregium, quod nulla dehinc obliteret ætas,
Et multi invideant nobis poſt fata nepotes?
Scilicet hoc tua mens ſemper tulit, hoc tua virtus
Inclyta, non Reges ut mirarere ſuperbos,
Quos vulgus ſtupet inſanum de divite gaza,
Et ſolos, laudans, ducit, dicitque beatos;
Sed ſi quis ſceleris vacuus, & pectore puro
Vitam agat, atque animum ſtudiis intendat honeſtis,
Hunc tu Regum opibus præfers, & Regibus ipſis,
Muſæoque tuo lepido impertiris honore.
Macte, vir eloquio princeps, & carmine princeps:
Macte animis, macte ingenioque, & pectore ſancto,
Non exſpectatum Latiis decus addite Muſis.
Namque tuas laudes ſpargens vaga fama per urbes,
Ad cælum te læta vehit plaudentibus alis,
Dum nos verſicolore trahis ſuper æthera curru.
Vive diu, vates vatum doctiſſime; vivent
Innumeros veluti tua carmina lecta per annos.
Vive iterum felix, noſtri lux maxima ſecli,
Cum Polo, unanimique tuo dulcique Priulo;
Farneſî ut poſſis laudes æquare canendo,
Quem colit, atque ſuis oculis plus diligit una,
Pulcher honos pulchræ Italiæ, pulcherrima Roma.

Ex Codice MS. chartaceo Cl. Viri Apostoli Zeni, *qui Latina diverſorum ἀνέκδοτα continet Carmina, notaturque n.* 1.

ET ſacer eſt, & habet ſpirantes ſuaviter auras
  Hortus; & eſt nullo gratior umbra loco:
Et nuſquam eſt æterna mage, & felicior arbos,
  Pulcher Adonî, tua, pulcher Apollo, tua.

Hic

Hic canere, & tenuem poſſe exercere Camœnam
 Ille dedit, ſanctus qui mihi ſemper erit.
Hic herbas, ſuccoſque tuos, artemque relinquo,
 Phœbe: ſoles Muſas tu quoque amare magis.

Ex eodem Codice.

HOs catulos, genus audacum de ſtirpe Laconum,
 Depulſos teneris nuper ab uberibus,
Parvus alit, ſervatque tibi, GIBERTE, Caryclus:
 Signa Lycus matris, Theſſala patris habet.
Et puer interea, & catuli, tua munera, creſcent:
 Creſcentem ſobolem tu tibi, ſancte, lege.

EXISTIMAVIMUS, *nos gratum facturos harum litterarum amatoribus, ſi Poemation cui titulus* ALCON, *ſive* de cura Canum Venaticorum, *in hac altera Editione Carminum* FRACASTORII *denuo excudi curaremus hoc loco,* HANNIBALIS CRUCEJI *nomine appoſito tamquam auctoris: cui ſane tribuitur a Jo. Paullo Ubaldino in libello quem inſcripſit:* Carmina Poetarum nobilium Jo. Paulli Ubaldini ſtudio conquiſita; *ediditque* Mediolani apud Antonium Antonianum anno 1563. 8. *Legitur ibi hoc Poemation pagina 13. & ſeqq. Operæ autem pretium omnino fecimus eo Carmine bis exhibendo. Ubaldinus enim pluribus locis mutatum protulit, & in calce præterea verſibus quibuſdam locupletavit. Hominis tamen auctoritati, qualiſcumque ea ſit, nonnulla Cl.* JO. BAPTISTÆ PARISOTTI *argumenta, ſeu dubitationes vocare mavis, addere placet, noſtraque item alia.*

Primum igitur, Ubaldinus, cum eadem ætate vixerit qua FRACASTORIUS, *haud temere hunc ingenii fœtum* CRUCEJO *tribuiſſe videri poteſt. Deinde, in antiquis Editionibus Operum* FRACASTORII, *quæ vel ipſo ſuperſtite, vel paullo ante mortuo adornatæ fuerunt,* ALCONIS *nec vola, nec veſtigium. Ranutius tantum Gherus, ſeu Janus Gruterus, in* Deliciis Poetarum Italorum, *& Nicolaus Rigaltius in* Rei Accipitrariæ ſcriptoribus, FRACASTORIO *tribuerunt: qui docti viri cum initio ſæculi XVII. demum floruerint, facile de hac re in errorem induci potuerunt. Hos autem poſtea ſecuti ſunt Genevenſes, qui* FRACASTORII *monumenta non ſemel recuderunt. His argumentis (ne quid diſſimulemus) opponere licet Panvinii auctoritatem: ſiquidem*

quidem vir egregius FRACASTORIUM *civem suum, cujus ipse ætati suppar fuit, hujus Poematis auctorem esse affirmat. Unum tamen est propter quod secundum* CRUCEJUM *lis danda videatur. Ille scilicet apud memoratum Ubaldinum, in calce hujus Poematis Cardinalem Perenotum rogat, ut sibi ignoscere velit, quod rem a nemine ad id tempus versibus expositam non satis eleganter tractaverit. Excusatio autem hujusmodi abest ab omnibus Editionibus in quibus* ALCON FRACASTORII *nomen præfert. Iccirco si* FRACASTORIUS *vere hoc Poema composuerit,* CRUCEJUS *reus erit plagii manifesti; qui alienæ togæ pannum assuere, ac, paucis de suo adjectis, mercem furtivam ad Perenotum mittere voluerit. Sed quam hæc probra in* CRUCEJUM *conveniant, non e trivio poetam, viderint acutiores. Certe si tantum facinus is admisisset, risum movisset litteratis omnibus Æsopia cornicula, existimationemque ingenio & bonis artibus collectam turpiter effudisset.*

HANNIBALIS CRUCEJI MEDIOLANENSIS

AD ANTONIUM PERENOTUM

Episc. Attrebatum nunc Cardinalem,

ALCON.

ASSIDUIS nuper fessus venatibus Alcon,
Æstivi cupiens fastidia longa diei
Fallere, dum latos exurit Seirius agros;
Corvini qua se nemora excelsissima cælo
Extollunt; gelida consedit lentus in umbra:
Et juvenem senior sic est affatus Icastum.
Me segnes artus, defectaque viribus ætas
Et superare juga, & latis discurrere campis,
Et torquere levis hastas, & ferre pharetram,
Nate, vetant, densasque indagine cingere silvas.
Sed te pulvereas cursu transmittere glebas,
Ferre æstum, glaciemque, levisque agitare Molossos,
Et pinguem e silvis ad tecta avertere prædam
Nunc decet: ac pro me validam exercere juventam.
En arcum, pharetramque tibi, jaculumque relinquo.
Ne tamen usque adeo plenæ confide pharetræ;
Ut postrema canum interea tibi cura putetur.
Quorum ope velocis poteris prævertere cervos,
Aut aprum ingentem, aut fulvum superare leonem.
Ergo age, & hæc animo memori præcepta reconde.

Prin-

Principio ut generosa canum tibi copia nunquam
Desit; quæ certam valeat promittere prædam;
Elige degeneri nequicquam semine natos:
Sed quos assidue silvis exercuit altis
Et labor assiduus, multarum & pugna ferarum.
Nec vero parvi facias formamve, genusve,
Nam neque sunt animi, nec mores omnibus iidem:
Et variæ diversa canum dant semina gentes.
Immanes si forte feras te cura tenebit
Venari, & dubiis caput objectare periclis,
Spartana de stirpe tibi, de stirpe Molossa
Quære canes: Libycos illis, acresque Britannos,
Pannoniosque truces, & amantis prœlia Celtas
Adde; nec Hircanos, nec Seras sperne feroces.
Sin vero parvos lepores capreasque fugaces
Malueris timidosque sequi per devia cervos:
Petronios agiles, volucrisque assume Sicambros.
Quod si te capiat, qui vi præcellat odora,
Et reperire sciat latitantia lustra ferarum:
Hoc tibi præstabunt Persesque, sagaxque Gelonus,
Suetus & in tectas Metagon penetrare cavernas.
At genere ex omni tu primum delige, quæ sit
Corpore nec gracili, nec densis aspera villis:
Sed sublime caput, vivacia lumina, & amplam
Ostentet frontem, atque ingentes oris hiatus:
Cui rectæ surgant aures, (nisi naris odoræ
Si qua erit. hanc etenim promissæ a vertice summo
Ad terram, mollesque decent) cui pinguia terga
Dividat in caudam descendens spina reflexam.
Sint armi lati, latum sit pectus, & ipsa
Lata alvus; costis qua parte adnectitur imis;
Ut tamen in spatium sensim se colligat arctum:
Et cava diductis succedant ilia coxis:
Excipiant siccis quas fortia crura lacertis.
Ima pedum parva signent vestigia planta.
Huic similem conjunge marem, cum vere tepenti
Tangit amor genus omne avium, genus omne ferarum.
Bis quinos tamen ante dies accensus uterque
In venerem, venere abstineat. sic aucta cupido
Acrius exstimulat: viresque ad semina præbet
Majores: suboles sic ipsa valentior exit.
Quæ simul in lucem numeroso est edita partu,
Accipe de multis quos jam præstare videbis
Pondere: vel stipulæ flammis include coruscis

Ingentem turbam. prolis nam mota periclo
Egregiam ſubolem, melioraque pignora mater
Ocyus eripiet flammis, ignava relinquens.
Ante autem, catulis quam firma acceſſerit ætas,
Hi parvo curſu campos luſtrare patentis
Incipiant, ſenſimque humilem conſcendere collem:
Et facili rurſum ſeſe demittere clivo:
Hinc tenerum leporem, vel crura infirma trahentem
Sectari capream, & præda gaudere recepta
Aſſueſcant, verbiſque viri parere vocantis.
Parva mora eſt. ipſis creſcunt cum viribus anni.
Jam potes hos denſis tuto committere ſilvis:
Perque altos montes, ac luſtra agitare ferarum:
Aut ſpumanti apro, aut fulvo objectare leoni:
Si modo nec capreas tu, nec dignabere cervos.
Immodicis tum parce cibis. tum curſibus illos
Exerce aſſiduis. poſt vero ad tecta reverſos
Vincula ferre jube. ſic demum libera colla;
Cum res ipſa, uſuſque vocat; majore feruntur
Impete; nec curſum remoratur pigra ſagina.
Hactenus in ſilvas catulos eduximus altas.
Nunc, quæ morboſis ſit cura adhibenda, docebo.
Inſomnis cum forte canes occulta fatigat,
Vimque adimit febris; putrem tunc aure cruorem
Ferro emitte levi: dein Bacchica dona roſarum
Miſce oleo; & rapidis ſimul omnia percoque flammis:
Terque die inſerto demitte in guttura cornu.
Sin vero nimio venandi langueat æſtu;
Butyro lapathi ſuccum, Siculique Lyæi
Pocula, contuſumque piper, fluitantiaque ova
Proſubige; ut, certi ſimul ac commiſta liquoris
Prætulerint ſpeciem, cupido canis hauriat ore.
Immodicam ſed forte ſitim dum ſublevat atro
Fonte canis, lymphæ mala ſi ſucceſſit hirudo;
Cimiceo ſuffire illum nidore licebit:
Aut oleo ptiſanam, & ſpumanti melle ſubactam
Excoquere; offenſoque cani præbere vorandam.
At cum tætra lues (clavos dixere) palatum
Afficiet miſere; ſilveſtria ſeſama, & una
Bacchi acidos latices, chartamque aſſume peruſtam,
Atque ammoniaci fruſtum: dein ſingula in unum
Confundens tætram placide ſuper illine peſtem.
Jam vero ardentis oculos inimica perurit
Cum tabes, crebræque cadunt a lumine guttæ;

Tu frondes ſacræ myrti, ſilveſtris & uvæ,
Arentiſque roſas diluto concoque Baccho:
Hiſque affecta levi citus ablue lumina dextra;
Inde oleum, atque ovi niveos immitte fluores.
Quod ſi nativo ſtimulatur coxa dolore;
Ignitum lapidem (Graji dixere myliten)
Urina ſemel, atque iterum demerge recenti:
Cui Bacchi dulcemque, acidumque adjiunge liquorem:
Quaque latet peſtis, molli circumline penna.
Aſt ubi rupta novo manabit ſanguine vena;
Tu murem geminum, ac telam pendentis Arachnes
Ure foco: cineremque undanti impone cruori.
Proderit & ferro candenti tangere vulnus.
Obſtructo vero lotii cum forte meatu
Vexari aſpicies catulum; Cerealia dona
Objice lacte prius ſimæ perfuſa capellæ.
At contra, venis ſi quando ſanguis apertis
Pro facili urina terram madefecerit atram:
Conveniet lenteis ferventi lactis aheno
Mollire: ac tenues coriandri jungere ſuccos,
Infractumque piper, laticemque undantis olivi;
Inſertoque cani paullatim infundere cornu.
Quid taceam, nimio cum decidit ungula curſu?
Frangere namque juvat pallentis grana cymini
Dentibus; admotaque pedem lenire ſaliva:
Incipientque novi ſuccreſcere protinus ungues.
Fit quoque ut immundo catulus juguletur ab œſtro.
Hic tu ſilveſtrem rutam crepitantibus ure
Ignibus; & fumo catulum ſuffire ſalubri
Perge, ſimulque acido vulnus perfunde Lyæo.
Quin aures etiam muſcarum turba moleſta
Uſque adeo infeſtat, mutilatum appareat alte
Ut caput. ergo agedum venienti occurre periclo:
Atque illas nucibus, viridique putamine tinge.
Quid cum dura canes inter ſe prœlia miſcent,
Alter & alterius percuſſus dente laborat?
Tunc etenim cervi flammæ ſubjecta voraci
Oſſa teres, oleo ſubigens frondentis olivæ
Unguinis in morem: ac vulnus letale perunges:
Quamquam etiam poſſis ramenta inducere ferri.
Namque venenifero ſerpentis ſaucius ictu,
Quo valeat, ſcit ſponte ſua reperire ſalubre
Gramen: & ipſe ſibi nullo ſpectante mederi.
At mala cum ſcabies miſeros depaſcitur artus

Latrantum, & fœde penetrabile corpus adurit;
Cerussam, abdomenque boum, resinamque tenacem,
Butyrumque recens viridantibus incoque sensim
Lentisci foliis: & membra affecta perunge.
Senserit at rabidos ubi morsus; protinus ipse
Idæam rutæ foliis, acidoque Lyæo
Junge picem, & læsæ hæc adhibe medicamina parti.
Sed tum præcipue solerti mente cavendum est,
Cum rabie accensus nunc hos, nunc impetit illos,
Ipsi infensus hero: datque insanabile vulnus.
Ergo illum primo valida compesce catena:
Inde rosæ agrestis radicem pondere saxi
Contusam vivi fontis consperge liquore;
Ut potus speciem colo transmissa nitente
Præferat. hac sumta catulos ad prima reverti
Obsequia, & posita rabie mitescere tradunt.
Sunt qui silvestris ficus, adipemque vetustum
Contundant. hederas alii ferventibus undis
Emollire jubent; donec pars una supersit
E tribus; ac foliis ipsis, tepidoque liquore
Pascere quadrupedem Aurora surgente furentem.
Nil tamen æque illi prodest, ac prima sub ipsum
Principium morbi rescindere semina ferro.
Nam qua parte imo conjungi lingua palato
Cernitur, excrescit vermis similata figuræ
Pustula, nativo fauces quæ concolor albo
Occupat, in rabiemque feros agit usque Molossos.
Hanc si quis dextra potuit resecare perita:
Is tanti abstulerit caussam, stimulumque furoris.
  Cætera te pauco post tempore, nate, docebo.
Nunc revocare canes, prædamque ad tecta referre
Admonet invectans sublustris Hesperus umbras:
Et qui jam posuit cantus corydallus acutos.

  At tu, qui magni magno cum Cæsare mundi
Consilio, Perenote, tuo moderaris habenas,
Incultos nostræ cantus ne despice Musæ:
Pastorum a parvis ego quam paullo ante cicutis
Grandia Venantum deduxi ad retia primus.
Sic tua Cæsaribus sint acceptissima semper
Obsequia; Eooque dies nascatur ab orbe:
Qua triplici tandem niteant tibi tempora mitra.

ILLUSTRIUM ALIQUOT POETARUM CARMINA AD FRACASTORIUM, ET DE FRACASTORIO.

PIERII VALERIANI ELEGIA AD HIERONYMUM FRACASTORIUM VERONENSEM.

Animum amore saucium, ægre ullam admittere medicinam.

MEn' totiens frustra admoneas, HIERONYME? cujus
Provida mens instar numinis esse queat;
Omnibus usque adeo officiis in utrumque parata est
Artis, & ingenii sedula cura tui;
Si patulas quisquam monitis adcommodet aures;
Sive animus poscat, seu grave corpus, opem.
Aurea nam reseras Academi oracula magni,
Et cupere esse aliud, quam sit amare, doces.
Utque adeo possim rectum dignoscere curvo,
Indocile exemplis instruis ingenium.
Nempe ad Lotophagos Ithacas adnâsse carinas,
Dum patriæ quærunt dulcia tecta suæ:
Illectosque cibo socios patientis Ulyssei,
Cum patria omne aliud posthabuisse bonum.
Nempe boni in promtu quod erat dulcedine capti,
Vix poterant flagris ad meliora trahi.
At venia dignum est, ubi quid delectat, in illo
Sistere, cui summi meta sit illa boni.

Tu

Hæc legitur pag. 47. & seqq. in libro hanc inscriptionem præseferente: *Pierii Valeriani Amorum libri V. Appendix ex præludiis castigatior. Amicitia Romana. Carpionis fabula. Protesilaus Laodamiæ respon. Leucippi fabula. Lib. unus. Venetiis apud Gabrielem Giolittum de Ferrariis* 1549. in 8.

Animadvertendum, pleraque Pierii carmina in hoc libello contenta, non reperiri in luculenta Operum ejusdem editione quæ prodiit Lugduni apud Paullum Frellon an. 1621. & 1626. fol. ch. maj. in qua tamen plurima repetuntur Pierii carmina, magna illius qui eam procuravit oscitantia.

Tu vero quem quisquam epulis admittat opimis,
Quas loto & multo lassere condierit:
Helleborumque tibi, aut absinthia tætra propinet,
Pascanturque alii nectare & ambrosia,
Lentus eris, patiare famem, patiare nefandum
Opprobrium, & risus de patina esse tua?
Ut flagrum, ut lorum mereare, ut mittier alta
Sæpius excusso sub tabulata sago.
Qui manifesta tuæ videas ludibria vitæ,
Damnaque, & ærumnas, totque in amore mala;
Et tamen in placita religatus compede perstas,
Et sine spe captas quod nihil esse vides.
Nunquam animum ex olido excieris, malesane, veterno,
Invisæve petent lumina lucis opem?
Non venit in mentem quotiens irrisus abîsti,
Cum peteres fandi tempus inane dari:
Non potuisse unum verbum extorquere, nec unum
Dicere, quod placidis auribus acciperet?
Num subit, ad metam primis properâsse quadrigis;
Cum tamen injuste palma negata tibi est:
Et ne dum curas placido sermone levaret,
Non oculis oculos jungere passa tuis?
Quid mores laudâsse probos tibi profuit unquam,
Si pretium, atque decus turpia sola ferunt:
Mille autem complexa procos, te excluserit unum,
Versibus illa adeo facta superba tuis?
Dumque tibi crescebat amor, crescebat in illa
Duritia, atque tui nominis acre odium.
Qui tua constanti firmaret pectora nisu
Unus amor, nec amor, sed furor unus erat.
Nam furor est adeo coluisse, & amâsse tot annos
Fontem odii, unde haustum nil, nisi amari aliquid.
At tandem juvet esse virum. nunc omnia in unum
Contrahe, quæ vires dent tibi, dentque animum.
Me miserum, nil tale prius vidisse tot annos,
Nil sensisse! rudis ceu lapis ante forem.
O mihi nunc gliscunt vires, animique feroces,
Nunc monitis fiam fortior ecce tuis.
O ego nunc vertam cælum & mare, & omnia in unum
Miscebo. Ipse mihi nunc ferus ultor ero.
Namque aderit mihi Mediceus Dux clarus Iulus,
Et patrocinio promtus & auxilio.
Cur ego tot valles inter vexatus & alpes
Durârim in tanti Principis obsequium?

Sci-

Scilicet ut Phiberta illi clarissima conjux
Contingat, mea me deserat immeritum?
Non feret ille suum fraudari hac parte clientem;
Jamque adero accepta cum legione ferox.
Te male multabo; data munera, vasa, torumque,
Omnia discerpam, diripiamque domum.
Quid loquor, aut quo mens abiit, quis me abstulit error,
Quo legio, aut ferrum, quis furor iste rapit?
Hei mihi! succensa nihil est injustius ira,
Semper enim armata est in dominum illa suum.
Quid tandem efficiam? quod ovis sub dente leonis,
Quod rapidi simplex hædus in ore lupi.
Heu, fera conditio! manifesta injuria facta est,
Nec toleranda modo, dissimulanda etiam est.

ANTONII MARII VISDOMINI.

FRASTORI * *venerande, anima mihi carior ipsa,*
Ut valeas, quidnam juncto pede, quidve soluto
Scribas, scire velim, dum te Marpesia celso
Colle tenet, placidi sectantem commoda ruris.
An medicas herbas Phœbo monstrante per agros
Colligis, ut caros cives a funere serves?
An Dryadum mistus choreis, Faunisque jocosis
Agresti ludis calamo: quæ Tityrus olim
Cantet, & umbroso miretur Nais ab antro?
An potius volucri raptus super æthera mente,
Colloquio frueris TURRII, *secumque vagaris,*
Ignotasque vias stellarum, orbesque tueris
Ignotos, veterumque palam commenta refutas?
Felix, quem populi de tempestatibus atris
Ereptum, claro sistit Sapientia cælo!
At nos indoctæ sequimur vestigia turbæ,
Parvaque miramur, quia numquam cernere magna
Contigit. hinc vana deludit imagine mentem
se mandato da Candia, *credo io certamente che avesse riflesso il Poeta alla bontà de' pascoli di quell' isola*, *che si chiama da Dionisio Africano*, πολλῆτε, λιπαρῆτε, ϗ ὤβοτος, grande, e pingue, e ricca di buoni pascoli; *e da Plinio stesso vien celebrata in essa*, mira soli indulgentia. *Anzi è pur dotta*, *e fatta secondo le regole della buona agricoltura*, *la descrizione medesima del montone*, curvis grandes sub cornibus aures Cui pendent, atque ora tegunt; *il che si può vedere*, *osservando quello che dice M. Varrone*, *lib. 2. de R. R. cap. 2.* Arietes sine ...... tortis cornibus, pronis ad rostrum..... auribus amplis. *Ma nel farlo di color nero*, *penso che abbia avuto riflesso al genio di Pane*, *selvaggio*, *e rozzo nume. Sicchè in tutto questo luogo del montone*, *non c' è parola che non sia dottamente usata. Dice in altro luogo:* lætosque olea Tyrrhenide campos; *nel che penso che abbia osservato due cose: prima l' antichità di questi paesi nostri*, *che una volta furono essi pure* Toscana; *del che lo veggo far menzione anche altre volte*, *assai eruditamente*, *e acconciamente in onore del Papa*, *ch' era Toscano; poi mostra*, *credo*, *il sito proprio per la buona coltivazione degli olivi*, *in qualche vicinanza del mare*, *qual' è la Toscana*, *anzi unico*, *secondo l' opinione degli antichi*, *della quale Plinio*, *lib. 15. cap. 1.* Oleam Theophrastus, e celeberrimis Græcorum auctoribus, anno Urbis Romæ circiter quadringentesimo quadragesimo, negavit nisi intra XL. millia passuum a mari nasci. *Ho veduto chi riprende Plinio*, *quasi che abbia mal' inteso Teofrasto*, *nel lib. 4. cap. 3. dell' Istoria delle Piante; dove in vero l' autore non dice questo; ma bensì lo dice nel 6. libro*, *cap. 2. dell' Opra stessa*, *e lo dice apertamente*, *tanto che non è riprensibile Plinio. il che sia detto per figura di parentesi. Dalle poche cose qui notate da me*, *si può vedere che sono questi Versi degni dell' Autor suo*, *e dell' altre Opere da lui scritte*, *piene tutte di virtù*, *e dottrina poetica; e*, *come dice Cicerone di qualche sua operetta*, *se non tali*, ut in arce poni possint, quasi illa Minerva Phidiæ, *tali però*, ut ex eadem officina exisse videantur. *Così è. Imperocchè non oserei per altro dirli perfetti*, *ma più tosto*, *come si vede*, *abbozzi*, *e*, *per dir così*, *parti ancora informi di mente grande e poetica. Anzi da questi si conosce chiaramente e con piacere che il* FRACASTORI *aveva il costume*, *nel comporre*, *del suo Virgilio*, *di cui*, *al nostro proposito*, *sono assai notabili queste parole di Tiberio Claudio Donato*, *nella Vita di Virgilio:* Cum Georgica scriberet, traditur quotidie meditatos mane plurimos versus dictare solitum, ac per totum diem retractando ad paucissimos redigere, non absurde carmen se ursæ more parere dicentem, & lambendo demum effingere. *Non si potrebbe desiderare esempio migliore di questa industria*, *di quello che quasi davanti gli occhi ci pongono cotesti Anecdoti del* FRACASTORI. *Mentre qui molte cose sono prima profuse*, *poi lavorate più esattamente; qualche volta*, *ancora perfezionate; al-*

b 2 *meno*

meno col ritrattarle assai migliorate. Per esempio, il principio dell' Egloga: Forte subalpini juvenes, &c. *dopo essere tante volte stato rimesso all' incude, parmi che sia perfetto nel Frammento a cui s' è apposto da me l' asterisco *. questo mi sembra tra gli altri attentati il più succinto, il più puro, il più esatto, il più candido, il meno ricercato, ed in cui meno si rappresentino al mio gusto certi versi, diro così, provisionali, i quali Virgilio,* per jocum, pro tigillis, vel tibicinibus interponi a se dicebat, ad sustinendum opus, donec solidæ columnæ advenirent, *come scrive Donato. Ora di questi versi molti perauventura si troveranno nelle carte delle quali parliamo. Siccome non rare volte la dolcezza del corso poetico parmi che venga interrotta da qualche stridore non per anche ben tolto da piu accurata lima. Quel luogo che principia dal verso:* Magna novos dum Roma tibi &c. , *senza dubitazione, a mio credere, molto meglio è riformato in quello che segue:* Hæc tam forte boni captus communis amore. *e più ancora in quell' altro:* Magna tibi meritos præstat dum Roma triumphos. *Così abbiamo qui come in uno specchio il progresso e profitto delle fatiche, e degli studj d' un gran Poeta. A queste considerazioni esposte da me, per servirla, con molta fretta, e rozzamente, succede la deliberazione, se queste reliquie non ancora perfette d' un tanto uomo siano degne d' esser pubblicate, e se il farlo sia cosa prudente. Deliberazione in vero non così facile, e che merita i suoi riflessi. Ora sopra questo punto dirò prima, che se il* FRACASTORI *medesimo potesse adesso soprastare egli stesso all' edizione delle sue Opere, non vorrebbe certamente, nè permetterebbe che fossero stampati questi Frammenti. tanta è la stima che ho del* FRACASTORI, *e tanto il concetto della riverenza e rispetto del pubblico che dovea essere in un tal' uomo. Che se Virgilio non voleva che si perdonasse alla stessa grand' Opera dell' Eneide, ma, come non perfetta, la condannò col suo testamento alle fiamme; dal che si conosce la somma idea che Virgilio avea della perfezione poetica; qual cosa mai diremo che fosse qui per fare il* FRACASTORI, *di cui mi persuado che il giudizio sopra la sublimità della eccellente Poesia fosse non assai minore a quello di Virgilio? Sicchè non avremmo noi, a quanto credo, per questa edizione il consenso dell' Autore. Aggiungo di più, che se la gloria del* FRACASTORI *fosse ancora in ambiguo, e non posta già da molto tempo fuori d' ogni pericolo, ben meritamente, per tante fatture incomparabili, non si dovrebbe alcuno prendere la libertà di commettere al giudizio pubblico gli abbozzi, e primi tentativi degli studii altrui, sottoponendoli all' incerto della fama comune. Ma come quest' uomo e già inviolabilmente consecrato all' immortalità, e fuor di pericolo d' esser mai sinistramente giudicato, credo che all' edizione perfetta delle sue Opere non possa esser nè inutile, nè ingioconda l' aggiunta di questi Frammenti ancora. E di questo mio sentimento credo poter addurre in testimonio il* sen-

senso della sapientissima antichità. Dice dunque Dionisio Alicarnassese nell' elegante libro della retta struttura delle parole, *che al suo tempo si conservava nelle mani degli uomini studiosi un esemplare autografo della Repubblica di Platone, trovato al tempo della morte di lui, nel quale si vedeva in molti modi variato, e trasformato il principio del primo libro:* Descendebam in Piræum heri una cum Glaucone Aristonis; (*così bisogna trasportar le parole in Latino, se vogliamo averne un tollerabile numero*) *e l' utilità di cotesto esemplare, secondo il prudente Dionisio, era il mostrare che fin' all' ottantesimo anno dell' età sua, in cui morì, mai non cessò Platone di pulire, e d' acconciare, come si fa de' capelli delle donne, i libri suoi, mutandoli in cento modi. Sicchè se all' antichità parve buono aver come la traccia degli studj, e de' progressi degli uomini grandi; il che si vede bene da questo luogo assai nobile di Dionisio; credo che allo stesso effetto servirà l' edizione de' privati tentativi poetici del* FRACASTORI, *e che pubblicandoli, faremo simile cosa a quella che fecero gli antichi nel conservare gelosamente, e nel mostrare come prezioso monumento i vestigi delle fatiche secrete, e recondite di Platone. Ciò supposto, crederei, che nella stampa non si dovesse cercare d' ordinarli altrimente, non essendo cose che ricerchino, di natura sua, ordine alcuno; quando pure non si volesse far ciò ponendo prima le cose più informi, e poi le stesse migliorate, ed indi le medesime ancora perfette. Ma io lascerei, per me, questo giudizio al Lettore, e stamperei tutto appunto con quell' ordine che ha nel Manoscritto, nè vorrei far il Censore dell' Opere altrui. Prima di partirmi dai Versi, dico una parola della difficoltà che veggo farsi su quello che dice, parlando della Teriaca:* Non cantharis urens, Sanguineum missura, acri non vipera morsu. *Or penso che questo verso si possa intendere in due modi; o unendo il membretto,* Sanguineum missura, *con l' antecedente,* non cantharis urens; *o pur ancora col seguente,* acri non vipera morsu, *posto un punto, e una comma dopo l' emistichio primo. E se volessimo appigliarsi a questo secondo modo, ed intendere del morso della vipera quel* Sanguineum missura; *questo pure ammetterebbe doppia spiegazione. Imperocchè può dirsi, secondo gli antichi, che la vipera, mordendo, mandi fuori un non so che di sanguigno, da essi chiamato,* ἰὸς, virus, *il quale vogliono che venga da i denti, Grecamente detti,* Cinodonti, ἰὸν ἐρευγόμενοι, virus eructantes, *dice Nicandro nelle Teriache; e nell' Antologia lib. 3. c. 16. il Poeta Antipatro Sidonio chiamò lo stesso veleno* χόλον, bile, *o sia* fiele, *facendo un Epigramma sopra un Uccellatore che morì ferito da una vipera, e dicendo:* πικρὸν ἐνεῖσα χόλον, asperam bilem immittens. *Dove anche usa il verbo* ἵημι, mittere, *ch' è lo stesso con quel del* FRACASTORI, Sanguineum missura. *Plinio pure, lib. 11. cap. 37. parlando della vipera:* Hæc eadem prægnans veneno, impresso dentium repulsu, virus fundit in morsus. *L' altro modo per cui si potrebbe* inten-

intendere che la vipera mordendo, mittat ſanguineum, *è, che queſto umore non ſia quello traſmeſſo dal dente, ma eccitato nella parte ferita dal morſo, uſandoſi beniſſimo da i Latini il verbo* mittere *anche nel ſenſo d' eccitare, e cavare violentemente. Imperocchè Dioſcoride, nelle Teriache, cap. 9. oſſerva che dopo il morſo della vipera, eſce dalla ferita un umore, prima pinguedinoſo, e poi* αἱματώδης, ſanguineus. *Sebbene queſto* ſanguinoſo *è il primo ad uſcire ſecondo altri Medici antichi, cioè Paolo, ed Aezio, allegati dal Saraceno, ſopra Dioſcoride. Sicchè potrebbe intenderſi in queſto modo il detto* Sanguineum miſſura. *E ciò, ſe voleſſimo, come diceva, applicarlo alla vipera, piuttoſto che alla cantaride. Ma io in verità meglio ſtimo, ſenza mutar punto l' interpunzione, leggere,* Non cantharis urens Sanguineum miſſura; *e ſpiegarlo, come adeſſo dirò. La cantaride ha una forza, come la chiama Dioſcoride,* ἑλκωτική, eſulceratoria. *ed è noto che queſta inghiottita eſulcera gl' inteſtini, e particolarmente la veſcica. Onde Plinio nel lib. 29. c. 4. verſo il fine, parlando delle cantaridi:* Sed in iis magna quæſtio, quoniam ipſæ venena ſunt potæ VESICÆ, cum cruciatu perpetuo. *E lo ſteſſo in qualche luogo dice ancora Galeno, ed altri. Adunque da una tal corroſione ſi fa naturalmente l' orina ſanguigna; e queſto penſo che abbia voluto certamente intendere il* FRACASTORI, *ſcrivendo quel ſuo:* Non cantharis urens Sanguineum miſſura; *dove all' adiettivo* ſanguineum *biſogna ſottintendere,* lotium, *o ſia* humorem, *o piuttoſto ſpiegare* ſanguineum quid; *ch' è più ſecondo la ſtruttura Greca. E bene s' aggiunge alla cantaride* urens, *come a quella che da' Græci vien detta* θερμαντική, excalfactoria. *e Plinio:* Vis earum adurere corpus, cruſtas obducere. *Che queſta ultima ſia la vera intelligenza del luogo ambiguo, apertamente ſi dimoſtra da un altro verſo dello ſteſſo* FRACASTORI *negli Elegiaci, dove abbiamo:* Non exſtillato ſanguine cantharides. *per certo non con altro ſenſo da quello eſpoſto qui ſopra da me. Ed ecco quello che mi permette di ſcrivere la ſcarſezza del tempo, e molto più, dell' ingegno, ſopra la parte Poetica di queſti Anecdoti; la quale, per ciò che appartiene al tempo, dubito ſia neceſſario aſſegnare agli anni di Clemente VII., non a quelli di Paolo III., come penſava l' erudito Autore della Prefazione, mentre apertamente, ne' verſi faſſi menzione di Clemente vivo nella ſua Sede.*

*Succedono le Proſe, e tra queſte i Dialoghi hanno il primo luogo. Confeſſo d' aver letto queſti Dialoghi con molta curioſità, anzi con avidità; mentre al vedere * l' argomento, penſava che l' Autore ſi foſſe contenuto ne' termini puramente filoſofici, com' era coſtume de Letterati di quel tempo, non molto ardenti amatori della Teologia. e m' aſpettava di vedere, ſecondo il genio del ſecolo, ripoſte qui con ordine e chiarezza le coſe di Plutarco ſcritte nel libro del Fato a Piſone: o quel-*

le d'

* *cioè* de Gratia.

le d' Alessandro Afrodiseo nell' acuto, ed elegante trattato, περὶ εἱμαρμένης, sopra il Destino, *inviato agl' Imperadori Severo, e Antonino. Ma poi avanzandomi nella lettura, mi congratulai col* FRACASTORI *perchè avesse un genio più sacro dell' ordinario dell' età sua. Ora confido ch' ella mi dispenserà dall' entrar nella materia, e mi permetterà che unicamente sopra la forma io scriva poche parole. Dico adunque che l' ingegno del* FRACASTORI *si dà in questa imperfetta sua Opera a conoscere assai maraviglioso, e versatile. Riconosco in essa una imitazione così nobile e naturale della eleganza Platonica, che forse in pochi la simile potrà ritrovarsi. Ognuno sa quanto difficile sia l' imitar Platone; non già intendo la purità e facondia di quell' eccellente parlare che anticamente fu giudicato degno delle Muse; ma dico di quella reconditissima grazia del pensiero, del costume, della deduzione, dell' ordine, dell' ampiezza, la qual grazia è tanta, che S. Basilio, atttribuendo a Platone* τὴν ἐξουσίαν τοῦ λόγου, la facoltà del parlare, *dice che Aristotele e Teofrasto ne rimasero sì atterriti, che non osarono calcare la stessa strada con lui. Ed in vero, credo che a nessuno sia mai dopo riuscito l' imitar esattamente Platone, quantunque Cicerone se gli sia molto accostato, ed egli pure quando più, e quando meno. Ma chiunque avrà una pratica mediocre ne' libri di quell' incomparabile maestro de' Filosofi, se con questa si ponga a leggere cotesti Dialoghi Fracastoriani, non dubito che non sia per ammirare una imitazione intima, passata in sugo e sangue, ed in vero nutrimento, tanto recondita più, quanto meno affettata, e meno apparente agli ordinarj lettori. Qui si vede la fecondità, la sincerità, l' ingenuità, l' ilarità, l' affetto, la purità, che sono i costumi Platonici. Vi riconosco pur io l' uso gentilissimo dell'* Epagoge, *detta da Suida,* Socratica, *ch' è, per dir così, la demostrazione familiare a Platone; onde Aristotele, (da cui vogliono i Greci che sia nata la Critica) nel* 12. *delle Metafisiche, due cose attribuisce a Socrate in eminenza, l'* Epagoge, *e il* Definire universalmente. *Specie di questa è ordinare talmente il discorso, che si concluda una cosa dagl' inconvenienti che nascerebbero seguendo il contrario; come fa qui appunto l' Autore. Si chiama da Laerzio, nella Vita di Platone, dove ne tratta,* Epagoge κατ' ἐναντίωσιν, ex contrario, *usata dal Filosofo,* non per dogmatizare, ma per arguire, *come Laerzio stesso dice; la quale unita all' altra, detta* ἐκ τῆς ἀκολουθίας, ex consequenti, *propria per* affermare *e* stabilire, *e adoprate l' una e l' altra qui dal* FRACASTORI *con somma grazia, e leggiadria, forma quasi tutto il disegno, o sistema de' nostri Dialoghi. Ma questi, siccome nel metodo, nella condotta, e nel colore sono interamente Platonici, così nello stile danno perfettamente a vedere quanto l' Autor loro egualmente fosse versato, imbevuto, e, dirò meglio, inzuppato nella continua lettura d' Aristotele. Parmi di veder in essi, e di rincontrar ad ogni passo l' eleganze Peripatetiche, quel certo proprio contorno d' argomentare, quel numero*

mero ſteſſo, e quella condotta de' membri Ariſtotelica; molte volte le parole medeſime, inſieme coi tratti veggo quaſi ridotti in natura ſeguire la penna del FRACASTORI. Delle quali coſe molte potrei toccare, e confermare con gli eſempi, ſe già non foſſi ſtanco di ſcrivere, e non doveſſi guardarmi dal tediarla più lungamente. Quello però che dico della pulitezza filoſofica, rara in queſti Dialoghi, non poſſo forſe dir egualmente per ciò che riguarda l' ultima perfezione dello ſtile Latino. mentre in queſta parte parmi che potrebbero eſſer capaci di non poco miglioramento, tanto nelle parole, quanto nella ſtruttura. Ed in vero, non pare che univerſalmente ſia ſtato il FRACASTORI tanto purgato ed elegante nella fraſe Oratoria, come nella Poetica. al quale propoſito, mi ſovviene d' aver anni fa letta una ſua Lettera ſtampata, e ſcritta (ſe non erro) al Bembo, in cui egli ſteſſo ſi lamenta della ſua lima, per la pulitura delle proſe. Tanto gli animi eccelſi conoſcono egualmente le proprie doti, e le proprie mancanze, ed hanno alta l' idea della perfezione. Non laſcerò, prima di partirmi da i Dialoghi, d' oſſervare un' altra coſa. Penſo che in eſſi il FRACASTORI ſotto il nome di Teagete abbia voluto occultare sè ſteſſo; e ciò deduco dagli attributi che a quella perſona dà, nel Dialogo primo, dove dice: Nam & hoc quidem ſupponere Theagem hunc arbitror, Medicum & Peripateticum non negligendum. Non ſono queſti attributi di Medico, e di Peripatetico convenientiſſimi al noſtro Autore in ſupremo grado? E non ſarebbe maraviglia che il giudizioſiſſimo FRACASTORI abbia voluto anche in queſta parte imitare gli antichi, ai quali fu di piacere in ſimili opere Dialogiche dinotare sè ſteſſi in alcuna delle perſone introdotte, come appunto gli ſcultori ſogliono in cifera intagliare il nome loro alle ſtatue. Se così è, qui pure abbiamo un' elegante, e modeſta alluſione a Platone. mentre nel Dialogo inſcritto appunto Teagete, queſto nome è d' un giovine che brama d' eſſer addottrinato, e introdotto alla Sapienza, come qui nel FRACASTORI, Teagete finalmente ſi laſcia inſtruire, e cede interamente ad Echecrate, nome anch' eſſo Platonico, preſo, con grazia, dal Fedone, e ſignifica uomo modeſto. Si può anche dire che il FRACASTORI, nominando sè ſteſſo Teagete, aveſſe riguardo al buon' augurio che Platone dà a queſto nome: καλόν γε ὦ Δημόδοκε τῷ υἱεῖ τὸ ὄνομα ἔθȣ, ϗ ἱεροπρεπές. Pulchrum enimvero, o Demodoce, tribuiſti filio nomen & Deo dignum. In verità non ſi può mai preſumer troppo, giudicando che ſimili uomini al FRACASTORI parlaſſero ſempre con dottrina, e con rifleſſo. E ciò baſti detto rozzamente ſopra l' arte, e l' eleganza di queſti Dialoghi, poſciachè, come già diſſi, nella materia non entro. Tocchiamo finalmente, in aggiunta, il principio della ſpiegazione ſopra l' Apocaliſſe. Queſta è netta, e digerita con buon' ordine, come tutte le coſe del FRACASTORI; moſtra affetto alla dottrina ſacra (che non è poca lode) e brama del buon' ordine della Chieſa. Non ha però egli in queſta il merito dell'

inven-

invenzione, mentre la materia non è sua: bensì ha quello della buona distribuzione, e della scelta. La maggior parte delle cose mi sembrano prese dai Greci, Areta, e Andrea di Candia; ed ho ancora letto qualche Autore assai grave avanti la metà del secolo decimoquinto, di cui pare che il FRACASTORI si sia in qualche parte servito. Se questo Frammento sarà reso pubblico, gioverà che si vegga con quanto studio il FRACASTORI si procacciasse, e si raccogliesse la spiegazione degli Oracoli Sacri. Abbenchè, se devo dire la verità, dubito che le sue diligenze non l' abbiano condotto allo scopo della genuina interpretazione. Ma non è maraviglia, mentre quello è un libro dettato dallo Spirito Santo con tal divinità, e con tal connessione ai libri del Vecchio Testamento, che la spiegazione dipende unicamente dalla profonda meditazione dell' antiche Profezie. Ha però varie cose gravi, serie, e dotte.

Nè altro a scrivere mi resta sopra questi residui del FRACASTORI, sopra i quali ha ella benignamente desiderato il mio sentimento, se non che meritano certamente la pubblicazione quegli squarci di Lettere sì Italiane, come Latine. Fra queste vale, a mio gusto, un tesoro il giudicioso, e veramente critico parere che sta piuttosto indicato, che espresso nel Frammento ad Aloysium, dove con tanta equità e verità tenta di conciliare in amicizia mutua le sette mediche; facendo poche parole, ma assai pesanti, e che mostrano un prudentissimo animo; e dicendo sentenza giustissima sopra i medici più e meno antichi. Tra quelle, (che tutte sono scritte senza studio, ma però con uno stile pieno di chiara fecondità; dote propria del FRACASTORI) due mi piacciono sopra l' altre. Una d' esse contiene un certo consulto, letto da me con estremo piacere più e più volte, parendomi di veder in essa uno specchio della prudenza, e deduzione medica, per la via prima analitica, e poi sintetica, con una serietà veramente profonda. L' altra lettera, che diceva piacermi assai, disputa de' grani detti da Teofrasto: ὁμοιόπυροι, simili al frumento, tanto acutamente, sottilmente, e dottamente, che poco di meglio in quel genere s' è scritto da quel tempo in qua. Ma ben dice ivi l' Autore, che in queste materie, molte cose si pon dubitare più che affermare. mentre particolarmente la Zea, celebrata da Plinio col titolo di res præclara, per cui abbia detto Omero ζείδωρος ἄρουρα la terra donatrice della Zea; che il FRACASTORI pone, con la maggior parte de' dotti, essere la nostra Spelta; questa, dico, è un nome equivoco, e forse assai generico. Che se vorremo accordare, e appuntare nella nostra Spelta tutto ciò che appresso gli antichi s' ha di tal Zea, difficoltà non poca troveremo. Per esempio, non saprei come unire Teofrasto, dove dice esser il frutto della Zea κουφότατον, facillimum, con Mnesiteo, appresso Galeno de Alim. che lo descrive βαρὺ καὶ δύσπεπτον, grave ac digestu difficile. Ma per non entrare in queste cose, avvertirò che nella dotta Lettera del FRACASTORI,

la Tifa *più volte si scrive così, con l'* i, Tifa, *ed una volta con l'* y, Tyfa, *il che penso esser errore della penna o dello scrittore, o del copista, perchè la* Tifa *scritta con l'* i, *è dissimilissima cosa dalla* Tyfa *con l'* ypsilon. *Questa è pianta acquatica, di cui scrive Teofrasto nel lib. 4. cap. 11. Quella è frumentacea, e ne parla, tra gli altri luoghi, al lib. 8. cap. 9. e Plinio, al lib. 18. cap. 10. Ciò avverto perchè penso che il* FRACASTORI, *com'era pieno di dottrina, e diligenza, abbia benissimo osservato questa distinzione, anzi l'abbia annotata nella sua lettera, quando pur sia ella ben letta, e supplita in un luogo mancante; il che tenterò io di fare. Ecco il luogo:* E la Tifa di che Dioscoride scrive, è altra cosa che quella di che parlano .... altramente si scriva. *Per sentimento mio, deve supplirsi cotesta lacuna in questo, o simile modo:* E la Tifa di che Dioscoride scrive, è altra cosa che quella di che parlano altri, conciossiachè da lui diversamente si scriva. *Perchè è verissimo, che Dioscoride, il quale non parla mai della* Tifa, *scritta con l'* i, *scrive però della* Tyfa *con l'* ypsilon, *nel lib. 3. cap. 133. e ne parla come di pianta che nasca nelle paludi, e nell'acque stagnanti. Anzi mi maraviglio che nelle note del Saraceno, di cui è la migliore tra tutte l'edizioni di Dioscoride, si legga confusa questa ortografia. Un altro luogo si può anche supplire poche linee dopo, sul fine della Lettera, dove abbiamo:* benchè etiam .... abbian fatto una cosa medesima il Condro, e l'Alica. *Leggerei:* benchè etiam alcuni Greci abbian fatto una cosa medesima il Condro, e l'Alica. *com'è di fatto: e si legga il sopramentovato Saraceno, sul* Condro *di Dioscoride. Prima di partire da questa bella, ed acuta Lettera, non posso trattenermi di non accomodare leggermente un terzo passo, il quale vedendo sossegnato con linea, penso che siasi letto a discrezione, essendo confuso nel Manuscritto. Dice così:* E perciò Galeno, ed Omero dicono la *Tifa* frumento picciolo. *Io leggerei:* E perciò Galeno, ed altri, in Omero, dicono la *Tifa* esser frumento picciolo. *La ragione mia è, perchè Omero, ch'io sappia, non ha fatto menzione mai della* Tifa; *bensì nell'ottavo dell'Iliade, fa che Ettore dia animo a' suoi cavalli, e, tra l'altre cose, dica eccitandoli, che Andromaca sua moglie avea cura di nutrirli bene:* Ὑμῖν πὰρ προτέροισι μελίφρονα πυρὸν ἔθηκεν. Vobis ante omnes suave TRITICUM apposuit. *ed ivi, sopra la voce* triticum, *l'antico Scoliaste, che va sotto nome di Didimo, nota che* abusivamente si nomina dal Poeta il frumento, in vece dell'orzo. *Ma Galeno, dove tratta della Tifa, nell'Opera* de Alimentis, *apporta il luogo d'Omero, e dice le parole seguenti, le quali (lasciando per brevità il Greco) trascriverò tradotte in Latino:* Sunt qui frumentis etiam hoc semen accenseant. Idque quod apud Homerum dicitur de equis, ubi Hector ait: Vobis quidem, ante omnes, suave triticum apponebat; de *TIPHÆ* semine dictum affirmant. hanc enim *PARVUM*

esse

esse *FRUMENTUM ec. Sicchè non è vero che Omero chiama la Tifa*, frumento picciolo; *ma è verò che alcuni, appresso l' eruditissimo Galeno, interpretano così Omero. E perciò accomoderei, come ho detto, secondo la verità il luogo del nostro* FRACASTORI; *nè dubito che non sia vero, almeno secondo la mente di Plinio, il di lui pensiero sopra il* Far Gallicum: Io altre volte pensai, *Far Gallicum* esser quel che Plinio chiama *Sandala*, noi vulgarmente Scandela. *mentre Plinio medesimo ha queste parole, così distinte ne' testi meglio puntati:* Galliæ quoque suum genus Farris dedere: quod illic Brance vocant, apud nos Sandalum, nitidissimi grani. *dove alcuni Manuscritti hanno* Scandalam, *che s' accosta affatto alla* Scandela, *grano veramente candido, onde si vegga esser lo stesso grano* Far Gallicum *Pliniano. Devo inserir qui una minuzia? cioè che se vera è l' opinione del Bocharto, molte parole Orientali potersi riconoscere nell' antico linguaggio Francese, forse la voce* Brance, *viene dell' Ebrea radice* ברה, barah, comedit, *inflessa la gutturale* h, *in* c, *onde* בריה, biriah, cibus, edulium. *Ma tempo è ch' io conchiuda questa lunga lettera, e lasci di parlar sopra cose che non sono della mia professione in vero, ma pur mi danno incredibile piacere. M' era quasi uscito di mente, che molto avrei bramato vedere quel Consulto dato dal* FRACASTORI *al Vescovo Giberto, di cui parla il dotto Autore della Prefazione. Ella compatisca i difetti ed il tedio d' una lettera così lunga, e ancora la scrittura incomposta. Holla scritta tumultuariamente, in cinquanta volte; onde m' è necessario mandarle la prima copia, con tutte le sue cassature, e postille. tanto più saranno condonabili gli errori che si troveranno in essa, forse in maggior numero di quello ch' io possa immaginarmi. Quanto alla tardanza della risposta, non aggiungo altro a quello che ho detto sul principio. Mi fa ancora l' Apologia il* FRACASTORI *medesimo, il quale in una di queste sue Lettere Latine dice così di sè stesso:* Ego autem, ut scis, Rhapsodus admodum non sum .... sed amicorum tamen memoria omnis mecum est semper. *Le quali parole applicherò a me. La supplico de' miei rispetti all' Illustriss. Signor Gio. Antonio suo degnissimo Fratello, a cui son debitore della sua dotta, ed elegante Prefazione, da me goduta, e gliene rendo le più distinte grazie. Ella mi faccia la carità delle sue orazioni, e mi conservi la sua padronanza, e riverisca in oltre per mio nome, e de' miei, tutti della sua riverita Casa, mentre sono ec.*



HIERONYMI FRACASTORII

FRAGMENTA CARMINIS IN LAUDEM MATTHÆI GIBERTI

EPISCOPI VERONENSIS.



AGNA novos dum Roma tibi, GIBERTE, triumphos
Exigit, & ſacro fulgentem heroa galero
Donat ovans, plauſuque ſonat ſtrepituque faventum,
Aſſurgitque pater Tyberis, ripæque reſultant,
Et Tyrrhena fremunt vicini litora ponti;
Hæc inter, Latiaſque inter ſi forte Camœnas
Advena habere locum poſſit; ſine, noſtra triumphi
Pars etiam ſit Muſa tui: comitetur & ipſa
Pone ſequens, plaudatque tibi. ſine, laurea parvum
Serta inter folium e ripa Benacide nectat,
Et patrios animos, conceptaque gaudia monſtret.

Aſpice:

Aſpice: cuncta tuis cernunt in honoribus ingens
Neſcio quid, formantque novis applauſibus omen.
Ipſa tibi ante alias ad tantæ nomina famæ
Ridentes inter colles, Cerealiaque arva
Præcinctum ſpicis & amica pacis oliva
Erexit Verona caput, venerataque numen
Terque quaterque deos patrios in vota vocavit.
Tum primum exſultante Atheſis ſe flumine ab alveo
Extulit, & longe Matri gratatus ovanti eſt,
Ingens & toto ſonuit tua nomina ponto.
Tunc quoque pumiceo ſenior Benacus ab antro
Pacavitque lacum, juſſitque abſcedere ventos,
Et Paphia citro, & viridanti litora lauro
Induit, undanteſque olea Tyrrhenide campos.
Quem circum virides centum per litora Nymphæ
Naiades in numerum lætas duxere choreas,
Ceſiaque, Grineeque, & amor jam Stella Vehilli,
Et Saloë, & Baccho dilecta Lacuſia, & horto
Limonis celebrata, & Adonidis arbore dives,
Et Tuſca, & numeros ſervans laſciva Catulli
Syrmio, & exercens agreſtem Melſina Muſam,
Et demum Charitæa ſuo digreſſa receſſu:
„ Quas inter docta & numeros & pectora vatum
„ Fatidica & volucrum pennas & Apollinis artem
„ Syrmio, proh Tuſco prognatæ fonte ſorores,
Affuit & Nati placidum ſubvecta per amnem,
Conjugis & cari cumulavit gaudia Manto,
Manto fatidica, in mediis quæ longa recenſens
Tempora, proh Tuſco prognatæ Naiades amne,
Hæc, ait, hæc erat illa dies, tandem affore nobis

Quam

Quam toties ita Fata mihi monſtrare canebam.
Scilicet Etruſca reges a ſtirpe futuros,
Qui veſtri memores, priſcæque ab origine gentis,
Demiſſum cælo, magnis virtutibus auctum
Deligerent heroa, iſtis qui præforet oris,
Pacataſque ſacra ſub relligione teneret.
Quo ....
Harpyiæ, & diræ Eumenides, infernaque monſtra
Perpetuis extra has terras religata catenis
Perferrent pœnas ſeclorum; at Pax aurea ſecum,
Et Pietas, & cana Fides, & lancibus æquis
Inviolata alto deſcendens æthere Virgo,
Et fecunda Ceres, & Copia cornibus aureis,
Nexæ animos, nexæque manus ſecla aurea nobis
Afferrent. date, Naïades, date lilia magno
Heroi, ſacraque caput præcingite lauro.
Tum ſanctoſque ortus memorat, tuaque acta recenſet
Grandia: naſcenti ut ...

Hæc tum forte boni captus communis amore
Condebam dulces Sophiæ digreſſus in hortos,
Hortos, quos ver perpetuum, quos aura Favonî
Semper alit, ſemper cæleſti nectare paſcit:
Quum nova te, meritis ingens, virtutibus ingens,
Fama refert ſacra redimitum tempora mitra,
Qui *divina regas, nobis qui ſacra miniſtres,*
Antiſtes GIBERTE Deûm. quo nomine primum
Ridentes inter colles, Cerealiaque arva
Spiciſque & viridi præcinctum tempora oliva
Erexit Verona caput, venerataque numen

Ter-

Terque quaterque deos patrios in vota vocavit.
Tum *pater* exſultante Atheſis ſe flumine ab alveo
Extulit, & longe Matri gratatus ovanti eſt.
Tum quoque pumiceo ſenior Benacus ab antro
Pacavitque lacum, juſſitque abſcedere ventos,
Et Paphia citro, & viridanti litora lauro
Ornavit, lætoſque olea Tyrrhenide campos.
Quem circum centum virides per litora Nymphæ
Naiades in numerum lætas traxere choreas
Tuſcaque, Syrmioque, atque ignis jam Stella Vehilli,
Et Saloë, & Baccho dilecta Lacuſia, & horto
Limonis celebrata, & Adonidis arbore dives,
Bardoque, Ceſiaque, Grinoaque Apollinis ardor,
Et jam *Merſa* parens, & adhuc Trimolia virgo,
Et demum Carda ipſa ſuo digreſſa receſſu:
Quarum quæ linguas volucrum, atque oracula Phœbi
Et *numeros* docta, & citharam Grinoa ſonoram,
O centum Etruſco prognatæ fonte ſorores,
Infit, io, Nymphæ. . .

Quæ modo, te ſacris delecto Antiſtite & aris,
Et tenerum ſacra caput exornante tiara,
Muſa tibi, GIBERTE, animo gratata benigno eſt,
Solemneſque dies egit, ſparſitque virenti
Flore ſolum, citharamque tibi pulſavit eburnam:
At nunc Romanas inter ſi forte Camœnas
Advena habere locum poſſit. . . . .

Ipſa tibi tua bella novis gratata triumphis
Ante omnes Verona, alta aſſurrexit ab arce,

Riden-

Ridentesque inter colles Cerealiaque arva
Virgineum erexit caput; ac læta omine tanto
Tempora paciferæ ramo præcinxit olivæ,
Et magno plausu insonuit: magno omnia plausu
Insonuere; tuumque ferens super æthera nomen
Clamor iit. Novus ecce tuis ab honoribus annus
Incipit, & melior nobis jam vertitur orbis.
Jam nova mutato procedere secula mundo
Incipiunt: tua iam regnant tria sidera, & ipsa
Terrarum dea Luna novo Latonia cornu.
Aspice: nescio quid cuncti promittimus ingens,
Formamusque novum magnis applausibus omen.
Aspice, jam plenis lætentur ut omnia votis.

Ipsa tibi tua bella animo gratata benigno
Ante alias Verona, ad tantæ nuntia famæ
Tempora paciferæ ramo præcinxit olivæ,
Ridentesque inter colles, Cerealiaque arva
Virgineum e summa plausu caput extulit arce,
Effuditque preces.

Magna tibi meritos præstat dum Roma triumphos,
Teque sacro, macte o Juvenis virtute, galero
Donat ovans, plausuque sonat strepituque faventum,
Assurgitque pater Tyberis, ripæque resultant,
Et Tyrrhena fremunt vicini litora ponti:
Hæc inter, Latiasque inter si forte Camœnas
Advena habere locum possit; sine, Musa triumphi
Pars etiam sit nostra tui, comitetur & ipsa
Pone sequens, plaudatque tibi. sine, laurea parvum

Serta inter folium e ripa Benacide nectat;
Musa, tibi agresti quæ quondam lusit avena,
Sacraque Melsineis persolvit rustica ripis:
Nunc vero si qua ipsa queat, majoribus auris
Ingreditur laudesque tuas & gaudia nostra.
Omen, io, Giberte, tuis ab honoribus annus
Incipit, & melior nobis jam vertitur orbis:
Jam nova mutato procedere secula mundo
Incipiunt. bona jam regnant tua sidera, & ipsa
Terrarum dea Luna novo Latonia cornu.
Aspice, nescio quid cuncti ut promittimus ingens.
Aspice, jam plenis lætantur ut omnia votis.
Ipsa tibi tua bella animo gratata benigno
Ante alias Verona, alta assurrexit ab arce,
Ridentesque inter colles, Cerealiaque arva
Virgineum erexit caput; ac læta omine tanto
Tempora paciferæ ramo protexit olivæ,
Solemnemque diem statuit, lustravit & aras,
Et patrios divina deos in sacra vocavit.
Ipsæ lætitia nemorosa cacumina silvæ
Nutarunt: fremuere amnes, & vertice cano
Baldus, & aëriæ resonis applausibus alpes.
Tum pater Herculea redimitus cornua fronde
Ipse Athesis late fluvio exsultavit amœno,
Longius atque urnam versavit, & aggere ab alto
In mare prorumpens rapidis se se intulit undis.



FRA-

FRAGMENTA ECLOGÆ

IN LAUDEM EJUSDEM.

FORTE ſubalpini juvenes Cneorus, & Almo,
Hyblaque: Cneorus paſtor gregis, optimus Almo
Venatu, lanæ ſtudioſa & Palladis Hybla:
Hybla colo, jaculis Almo, Cneorus hibiſco
Depoſitis, ſola pueri ſub rupe canebant,
Flumina Benaci reſidentes propter amœni:
Addiderantque ſonum gracilis Cneorus avenæ,
Hybla cavi crotali, reſonæ teſtudinis Almo.
Hæc Almo, illa puer Cneorus, at Hybla ſupremum
Cantat: Melſineæ reſponſant omnia ſilvæ.

Al. O niſi me Thelayra meus conſumeret ignis,
Ecquis lætitia in tanta me lætior eſſet?
Nunc & feſta dies, nunc & ſolemnia, & ipſi
Plena coronati ſtant ad præſepia tauri.

Cn. Quemque ſuus tenet ignis. ades, formoſa Lycori,
Lætitiæ: nunc luce ſacra duc gaudia mecum.
Nunc etiam hirſutæ ludunt per prata capellæ,
Nunc etiam virides ſaliunt per litora Nymphæ.

Hy. Quin matris puer Idaliæ, materque, faceſſe hinc,
Idalii mater pueri, qui triſtia lætis,
Semper qui lacrimas intermiſcetis amaras.
Sancta placent. agitur Juveni lux optima ſancto.

Al. Sit fauſtum felixque: tuo, GIBERTE, refulſit
Æther in *adventu;* & cælo felicia ab alto
Neſcio quid micuere novum tria ſidera, & ipſa
Terrarum dea Luna novo Latonia cornu.

Cn. Jam nova mutato naſcuntur ſecula mundo;
Et Pietas, & cana Fides, & lancibus æquis
Inviolata alto deſcendit ab æthere Virgo,
Et fecunda Ceres, & Copia cornibus aureis.

Hy. Hæc Juveni nova ſacra, dii, renovate quotannis,
Agricolæ. hic diram Alecto, cæcumque furorem
Gorgonis, Harpyiaſque feras, infernaque monſtra
Caucaſea ærata religabit rupe catena.

Al. Ipſæ lætitia nutarunt vertice ſilvæ,
Populiferque Atheſis fluvio exſultavit amœno,
Largius atque urnam verſavit, & aggere ab alto
Aurea concuſſit taurino cornua vultu.

Cn. Tunc quoque pumiceo ſenior Benacus ab antro
Pacavitque lacum, fluctus, fremitumque marinum
Sedavit, juſſitque vagos abſcedere ventos,
Et myrto & viridi ripas ornavit oliva.

Hy. Paſtori, Benace, tuo flue lenibus undis:
Tempus erit cum ſancta pedum veſtigia lambes.
Tunc tibi & Amphryſus concedat, Apolline quamvis
Labatur pecoris nivei paſtore ſuperbus.

Al. Syrmio frondoſas, magnum nemus, indue lauros:
Ille colit Muſas, & vates educat, & jam
Mille habet: atque aliquis creſcit tibi forte Catullus,
Magnanimum qui heroa tua decantet in acta.

Cn. Ille etiam agreſtes non dedignatur avenas:
Ille tibi cælo tandem demiſſus ab alto,
Thyrſi, canas licet uſque, & agas læta otia, dixit:
En agrum, en tibi do, quod numquam duxeris, hortos.

Hy. Quid? quod & agreſtes flores & munera curat.
Leuce, inquit, decoret ſacro me Roma galero:

Serta

Serta tamen tu, cara mihi, tu munera mitte:
Narciſſum lege, cara, mihi, lege lychnida, Leuce.
Al. Cervus in alpinis errat tibi, Delia, ſilvis:
Hunc ſi, diva, dabis currentem in retia, ſancto
Dona feram Juveni, & ramoſis ſerta jubebo
Cornibus ex hedera pictis pendere corymbis.
Cn. Eſt mihi Cretæis aries delatus ab oris,
Cuncta niger; *curvis* grandes ſub cornibus aures
Cui pendent, atque ora tegunt: Pan diligit unum:
Hic Juveni aurato felix cadet hoſtia cornu.
Hy. Quid *potius mitto?* Heſperidum quæ ex arbore legi,
Mala dabo ſeptena uno pendentia ramo.
Mox ſancto quæ dona feram, nova texta paravi,
Pictus ubi narciſſus hiat, Mæander oberrat.
Al. Oceano in magno puppis ſecura magiſtro
Contemnit pelagique minas, ventoſque furentes.
Cn. Rege ſub exercetur apum ſtudioſa juventus,
Mella premit, fingitque favos, roremque reportat.
Hy. Tutela paſtoris oves per gramina lætæ
Deſpiciuntque lupos, nec jam metuere leones.
Al. Rura deus noſter tandem *cum* viſet, & urbem,
Mella ferent quercus, decurrent flumina lacte.
Cn. Vellera ab arboreis pendebunt mollia ramis,
Puraque dumoſi ſudabunt balſama vepres.
Hy. Ros & nocte cadet, tenera qui lectus ab herba
Mortales ſaturet menſa dapibuſque deorum.

Ibla colo, Leuce calathis, Cneorus hibiſco
Depoſitis, ſola pueri ſub rupe ſedentes
Apricum ad ſolem in litoribus Benaci

In

In numerum cantant eadem non vocibus iisdem:
Ibla gravi, Leuce media, Cneorus acuta
Cantant: Melsineæ responsant omnia silvæ.

Cn. O nisi me Thelayra meus consumeret ignis,
Ecquis lætitia in tanta me lætior esset?
Nunc & hiems est verna, & nunc solemnia, & ipsi
Plena coronati stant ad præsepia tauri.
Parce, precor, Thelayra, novo dum maxima sacra
Semideo agricolæ facimus, dumque omnibus aris
Lætitia it, vallesque cavæ, ripæque recurvæ,
Benacusque, Athesisque tibi, GIBERTE, resultant.

Ib. Quemque suus tenet ignis. adesto, candide *Amynta*,
Lætitiæ, & luce sacra duc gaudia mecum.
Postridie te cura ovium lactisque tenebit.
Nunc etiam hirsutæ ludunt per prata capellæ,
Nunc etiam faciles saliunt per litora Nymphæ:
Dumque omnis tellus, omnis dum cessat arator,
Applaudunt cava saxa tibi, tibi condita silvis
Applaudit, GIBERTE, altis de rupibus Echo.

Le. Quin, matris puer ingratæ, materque, facesse hinc,
Ingrati mater pueri, qui tristia lætis,
Semper qui lacrimas intermiscetis amaras.
Sancta placent. sancto Juvenem dum Roma galero
Donat ovans, magnisque parat decorare triumphis,
Mons circum, septemque sonant applausibus arces,
Assurgitque pater Tyberis, ripæque resultant,
Et Tyrrhena fremunt vicini litora ponti.

Postridie tua mala leges. sine, frondeat arbos
Semideo: sine, poma ferat. sunt Medica curæ
Heroi,

Heroi, & silvæ Alcinoi, grandesque volucres.

Quemque suus tenet ignis. at, o, ne gaudia tanta,
Sæve puer, lætis semper qui tristia misces,
Ne turba. sit pura dies, sint omnia læta.

Quemque suus tenet ignis. eat lux candida nobis,
Candidus & novus annus eat: novus incipit annus.

Parce, precor, Thelayra, novo dum maxima fiunt
Sacra deo, dum ridet ager, dum ridet & annus.

Cn. Syrmio, frondentes per ripas indue lauros:
Ille colit Musas, & vates educat, & jam
Mille habet: atque aliquis crescens tibi forte Catullus
Rursus Athin heroasque tua cantabit in acta.
Le. Ille etiam agrestes non dedignatur avenas:
Thyrsi, mihi cane, Thyrsi, inquit: sit rustica quamvis
Musa tibi, tamen immemorem non arguet, & me
Gratum Melsineis non inficiabitur hortis.

Cn. Quum venies, Giberte, tuum visurus ovile,
Mella ferent quercus, decurrent flumina lacte.
Le. Vellera ab arboreis pendebunt mollia ramis,
Inculti pretiosa ferent opobalsama vepres.
Hy. Ros & nocte cadet cælesti nectare mistus,
Qui gentes saturet mensa dapibusque deorum.
Cn. Salve, macte nova Juvenis virtute decorus,
En crescit, completque tibi sua cornua Phœbe.
Le. Et tria ab ætherio felicia sidera mundo

Irra-

Irradiantque tibi, & cælum jam militat omne.
Hy. Salve, ætas heroum, amnes, ſalvete, Latini,
Diique omnes magnæ Heſperiæ, qui ſecula ſoli
Aurea Saturni primo meminiſtis ab ævo,
Quum ſepes vel limes adhuc communibus agris
Non foret, aut ulli variarent jugera ſulci;
Sponte ſua ſed terra ferax daret omnia, & ipſæ
Præberent dulci victum de robore glandes.

Le. Ex illo nobis deus eſt: illi annua ſacra
Montibus his faciemus: erunt & ruſtica grata.
Hybla, deo tua texta para, quæ munera mittas.
Cn. Tibri, quid ah noſtrum retines? ab origine tecum
Nos Tuſci ſervamus adhuc nomenque genuſque.
Hinc & amat nos ille deus, cui temperat orbis,
Qui cælos aperire poteſt & Tartara Clemens.
Hy. Clementi nova ſacra deo renovate quotannis,
Agricolæ. hic diram Alecto, cæcumque furorem
Gorgonis, Harpyiaſque feras, infernaque monſtra
Caucaſea ærata religabit rupe catena.
Le. Hic te paſtorem nobis, miſeratus egenos,
Hic patrem, GIBERTE, dedit; tibique optimus inquit:
Et genus interea, & noſtrum ſervabis ovile,
Dum te fata deûm mox ad majora reſervant.

Salve, magna ætas, & vos ſalvete, beati
Heroes: ſalvete, amnes, fonteſque Latini,
Diique omnes magnæ Heſperiæ, qui ſecula ſoli
Aurea Saturni primo meminiſtis ab ævo;
Quum ſepes vel limes adhuc communibus agris

Non

Non foret, aut ulli variarent iugera sulci;
Sponte sua sed terra ferax daret omnia, & ipsæ
Præberent dulci victum de robore glandes.

Salve cura deûm Juvenis, cui militat æther:
En crescit, completque tibi sua cornua Phœbe.

Postridie curabis oves, aut, si magis horti
Detineat te cura, virens tondebis anethum.

Cn. Sit faustum felixque: tuis ab honoribus omen
Nescio quid quercu volucris cantavit ab alta.
Ecce tua & cælo fulserunt sidera, & ipsa
Terrarum dea Luna novo Latonia cornu.
Le. Incipit annus, io, melior, nova nascitur ætas.

Hy. Vos quoque Clementi, agricolæ, renovate quotannis
Sacra deo. hic diram Alecto, *&c.*

Cn. Clemens hunc nobis Juvenem, miseratus egenos,
Ipse dedit, dixitque, Meum servabis ovile
Interea, Etrusci pecoris, puer inclyte, pastor,
Dum te fata deûm mox ad majora reservant.

Le. Lilia tu lege cana mihi, lege lychnida, Leuce.
Hy. ipsi etiam parvum, quod laurea nectat
Serta inter, folium e ripa Benacide misi.
Quod veniat munus Juveni, nova texta paravi,
Pictus ubi narcissus hiat, Mæander oberrat.

Al. Parce, precor, Thelayra, novo dum ſacra dies eſt
Semideo, dum ridet ager, lætatur & annus.

Cn. Poſtridie luſtrabis apes, aut, ſi magis horti
Tunc habeat te cura, virens tondebis anethum.

Hy. Sancta placent. agitur Juveni lux optima ſancto,
Cui cælum egelidum, cui ridet florigerum ver,
Gramine terra novo veſtitur, frondibus arbor.

Hybla colo, Leuce calathis, Cneorus hibiſco
Depoſitis, ſola pueri ſub rupe canentes
Apricum ad ſolem, docuit quæ maximus Alcon,
In numerum cantant eadem non vocibus iiſdem.

Hybla colo, Leuce calathis, Cneorus hibiſco
Depoſitis, ſola pueri ſub rupe ſedentes
Apricum ad ſolem in litoribus Benaci,
In numerum cantant, docuit quæ maximus Alcon,
Carmina concordes eadem non vocibus iiſdem.

Hybla colo, Leuce calathis, Cneorus hibiſco
Depoſitis, ſola pueri ſub rupe canentes
Apricum ad ſolem, docuit quos maximus Alcon,
Una omnes cantant eadem non vocibus iiſdem.

* Forte ſubalpini Leuce, Cneorus, & Almo,
Almo arcu, Leuce calathis, Cneorus hibiſco
Depoſitis, ſola pueri ſub rupe ſedentes
Apricum ad ſolem in litoribus Benaci

In

In numerum cantant eadem non vocibus iisdem,
Almo gravi, Leuce media, Cneorus acuta:
Adjunguntque sonum tenuis Cneorus avenæ,
Arguti Leuce crotali, testudinis Almo.
Hæc Almo, illa puer Cneorus, at ultima Leuce
Cantat: Melsineæ responsant omnia silvæ.

Forte subalpini juvenes Cneorus, & Almo,
Hyblaque, venatus Almo, Cneorus aratri,
Hybla horti studiosa; iidem nemora omnia cantu
Assueti mulcere; in litoribus Benaci
Apricum ad solem aëria sub rupe canebant,
Hybla bidente, Almo jaculis, Cneorus aratro
Depositis, numeros partiti & verba vicissim:
Addiderantque sonum tenuis Cneorus avenæ,
Hybla cavi crotali, resonæ testudinis Almo.
Hæc Almo, illa puer Cneorus, at Hybla supremum
Cantat: Melsineæ responsant omnia silvæ.

Forte subalpini juvenes Cneorus, & Almo,
Hyblaque; Cneorus pastor gregis, optimus Almo
Venatu, lanæ studiosa & Palladis Hybla;
Iidem consueti silvas & litora cantu
Assiduo mulcere; alta sub rupe canebant,
Flumina Benaci residentes propter amœni,
Hybla colo, jaculis Almo, Cneorus hibisco
Depositis, numeros partiti & verba vicissim:
Addiderantque sonum raucæ Cneorus avenæ,
Almo cannæ, testudinis Hybla:
„ Hæc Cneorus, at illa Almo canit, Hybla suprema.

Cneorus puer hæc; Almo illa; Hybla ultima cantat.
Carmina Melſineæ reſponſant omnia ſilvæ

FRAGMENTUM DE THERIACA,

ELEGIACIS VERSIBUS, ADHUC INEDITUM.

MAGNE Nero, nobis qui das tuta otia, Cæſar,
 Hanc inſignem audi viribus antidotum:
Hanc audi, quam Theriacen voluere vocari,
 Quod tranquilla omnis vita per illam agitur.
„ Non, illa cuſtode, malo ſint noxia ſucco,
Nec tibi letalis noceant mala pocula ſucci,
 Pocula de nigris preſſa papaveribus:
Non ſeu prægelidam quiſquam hauſerit ore cicutam,
 Seu quis hyoſcyamum, ſive aconita bibat,
Non tibi vel Medes noceat, non fervida Tapſos,
 Non exſtillato ſanguine Cantharides.
Nec ſitiens Dipſas, nec fraus metuenda Ceraſtis,
 Nec quæ letali Vipera dente necat.
Incaſſum cauda conſurgat Scorpius unca.

FRAGMENTUM CARMINIS DE THERIACA

jam vulgatum: at hic datur auctius & correctius.

MAGNE Nero, qui das nobis tuta otia, Cæſar,
Cui debet quicquid præclarum parturit orbis,
Antidotum hanc inſignem audi, quam nomine dicunt
Theriacen, tranquilla omnis quia vita per illam

Degi-

Degitur, & longos hilaris ductatur in annos:
Qua letale nihil poteris custode timere;
Non si nigra malo porrecta papavera succo
Ebiberis, non si gelidam dent Susa cicutam:
Non tibi hyoscyamus torpens, aconitave dira,
Non Mede, Tapsusque, tibi non Cantharis urens
Sanguineum missura, acri non Vipera dente,
Nec sitiens Dipsas, nec fraus metuenda Cerastis.
In cassum e saxo cauda insidietur adunca
Scorpius assurgens, magni metus Orionis;
In cassum squamis maculosa horrentibus Aspis:
Nec mihi sit fugienda Phtyas, quamquam improba cæcis
Ardeat, insanumque micet deprehensa latebris.
Quin ausim & pastum in sicco tractare Chelydrum,
Fessus & herbosi dormire ad flumina Nili,
Multa ubi litorea sit fœta Hæmorrhois alga.
Jam neque Chersydrum, nec bicipitem Amphisibænam
Formidem: jam nec Calabris demessor in agris
Devitem tremulum factura Phalangia corpus.
Hac fidens, dum tu Libyam tua sub juga, Cæsar,
Victor & immensi subigis regna ultima mundi,
Per malefida potes colubrûm deserta vagari.

ALIUD FRAGMENTUM,

INCERTUM CUJUS OPERIS.

FElix, qui cara & pura cum conjuge vivit,
Educitque suam sobolem, carosque nepotes,
Humani generis memor, & servator honesti:

Fortu-

Fortunatus & ille, ſibi qui cælibe vita
Mentem animumque colens diis ſe cæleſtibus æquat:
Ille nequam eſt qui non aliis, qui nec ſibi vivit.

INITIUM SYPHILIDIS

A VULGATO DIVERSUM.

BEMBE; deus quando medica haud contemnit Apollo,
Et nova amare ſolent atque admiranda Camœnæ;
Nunc ego naturæ, dulcique accenſus amore
Muſarum, quæ fata novum, quæ ſemina morbum
Attulerint, noſtra qui tempeſtate per omnem
Sæviit Europam, & Latium per triſtia bella
Gallorum invaſit, nomenque a gente recepit,
Hinc canere, & longe ſecretas quærere cauſas
Aëra per liquidum & vaſti per ſidera olympi
Incipiam; nec non & opis quid comperit uſus,
Magnaque in anguſtis hominum ſolertia rebus,
„ Et monſtrata deûm auxilia, nullique parentum
„ Noſtrorum *reſerata* prius nec cognita pandam.
„ Tu mihi, quæ ſeries cauſarum & fata miniſtras,
„ Et cælo curru inveheris, perque æthera ....
& data munera cæli
Perſequar, alteriuſque canam miracula mundi,
Majorumqne prius non ulli cognita pandam.
Tu mihi, quæ rerum cauſas, quæ ſidera noſcis,
Et cæli effectus varios,
Quæ tenues ſolis radios, elementaque miſces,
Quam pictæ volucres, & amantes roſcida plantæ,

Qua-

Quadrupedumque, hominumque genus, pecudumque natantum
„ Altricem cuncti generis matremque ſalutant;
Eductricem unam vitæ matremque ſalutant;
Ipſa ades, & mecum placidas * *ſpatiare* per umbras,
Dum tenues auræ, Sophiæ dum floridus hortus
Invitat, reſonatque cavis Benacus ab antris.
Principio quæque in terris, quæque æthere in alto,
Atque mari in magno Natura educit in ortum,
Cuncta quidem nec ſorte una, nec legibus iiſdem
Proveniunt; ſed enim quorum conſurgit origo
E paucis, crebro ac paſſim *&c. ut in editis deſinit.*
Rarius emergunt alii & poſt ſecula longa:
Difficiles cauſas, & inextricabile fatum,
Et ſero potuere altas ſuperare tenebras.

Opera Miſericordiæ variis jam in libris vulgata.

Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

